RUDIMENTA HISTORICA

ſive

Brevis, faciliſque Methodus Juventutem Orthodoxam notitiâ Hiſtoricâ imbuendi,

Pro Gymnaſiis Societat: JESU

AUTHORE

Ejuſdem Societatis

SACERDOTE.

OPUSCULUM TERTIUM

De

Regnis, aliiſque Orbis Provinciis.

CALISSII,

Typîs S. R. M. Coll: Soc: JESU

Annô Domini 1755.

PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem.

OPusculum hoc, Catholicæ potissimùm Juventutis, in Societatis nostræ Gymnasiis instituendæ usibus destinatum, eò collimat, ut tenera hæc ætas brevî, captûquè haud admodum difficilî de variis Regnis, & Orbis Regionibus notitia jam nunc imbuatur. Æquum porrò videbatur, ut Polona juventus de suamet Patria aliquantò pleniorem eruditionem hauriret, quam de exterorum historiis. Ea causa est, cur de Polonorum Regno nonnihil fusius agatur. Benevolus Lector amicè convenitur, utì meminisse iterum non gravetur, etiam hoc tertium Opusculum æquè ac priora, non nisì Rudimentum esse & experimentum, quô demum faciliore modò nostra Catholica Juventus circa dispendium consueti Laboris Scholastici ad historiarum cognitionem deduci possit: Quid verò in historico hoc nostro Tyrocinio emendandum sit, magisque elimandum, experientia ipsa, & exercitatio docebit. Quocirca si cui quidpiam de præcipuis maximè familiis, prætermissum videatur, veniam dabit: neque enim hæc Rudimenta Historica viris scribimus, sed Scholarum nostrarum tyronibus, qui nimia rerum mole non erant obruendi; præsertim quòd aliqua, quæ deesse videntur, alibi recurrant.

Distributio Opusculi.

P A R S I.

De Polonia & Germania.

C A P U T I.

De

P O L O N I A.

§. 1. De Regno Poloniæ compendiosa narratio.
§. 2. De Divisione Poloniæ.
§. 3. De Ducibus & Regibus Poloniæ.
§. 4. De Ordine Poloniæ.

C A P U T II.

De hodierna Germania.

§. 1. De præcipuis Germaniæ ævô nostrô partibus.
§. 2. De Roligione & Politia Germaniæ,

P A R S II.

De aliis Europæ Regnis.

C A P U T I.

De Catbolicis Europæ Regnis.

§. 1. De Portugalia sive Lusitania.
§. 2. De Hispania.
§. 3. De Gallia.
§. 4. De Italia, & ejus partibus.
§. 5. De Hungaria,

PARS

PARS I.

De Polonia & Germania.

In prima hac parte agemus primo de origine, divisione, Ducibus ac Regibus Poloniæ, ordine; ac de hodierna Germania.

CAPUT I.

De Regno Poloniæ.

§. I.

De origine & primis Poloniæ Rectoribus.

Quæ origo Poloniæ?

Linguæ morumq; Polonos inter, Bohemos, & Russos similitudo fidem faciunt, quòd de tribus fratribus è Slavonia oriundis, Leccho, Zeccho, & Russio communi opinione receptũ est, nimirũ sub annũ 600. vastas tres Regiones Poloniam, Bohemiã, & Russiam inhabitare cœpisse. Poloniæ Regnũ & Magnus Ducatus Lithvaniæ &c. ut olim *Sparta*, non tam mæniũ mole Urbiumq; munitione, quam fortibus Viris, splendoreq; Nobilitatis gloriantur; quorum summum, &

vitâ carius decus est *Aurea libertas*, & affinis ipsi liberi oris facundia, qualē vel in medio *Latio* quæsieris. Nemo regum in Europa tàm latè imperat, quàm *Rex Poloniæ*, nemo tã frequenti splendidoq; stipatur Senatu. In Polonia tres ordine sibi succedentes Ducum & Regum Familiæ præcipua notatione dignæ sunt: 1. *Lechica*, 2. *Piastica*, 3. *Jagellonica*.

2. *Qui omnium primi rexêre Poloniam?*

Leccho, Gnesnensis urbis conditore, è vivis erepto, Palatini duodecim electi fuêre, qui Poloniam gubernarent; unde hæc in totidē Satrapias sive Palatinatus jam tunc dividi cœpit. 2. *Cracus*, ineunte seculo VIII. Dux promulgatus, Cracoviam condidit. 3. *Popielum* II. patruorum suorum interfectorē, mures, ex occisorum cadaveribus catervatim prorepentes absumpsêre.

3. *Qua occasione Piastorum Familia Poloniæ præesse cœpit?*

1. *Piastus*, humili loco natus, ingravescente annonæ difficultate, quod è frumēto reliquū erat, inter egenos liberalissimè distribuit, dignus idcirco, qui concordibûs populi suffragiîs in Ducem eligeretur. 2. *Miecislao I.* præeunte, Polonia an: 965. Christiana sacra suscepit, quæ in hanc usq; diem insignî constantiâ, fortissimeq; propugnat. 3. *Boleslaus I.* an: 1000. primus regia dignitate auctus fuisse perhibetur; quâ tamen *Boleslaus II.* non

Rex

Rex, ſed tyrannus ſæviſſimus, & infame Veneris mancipiũ, ac S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis intérfector, iterum excidit. 4. *Præmislaus II.* Regio titulo, quò Anteceſſores ducentîs & ampliùs annîs caruêre, denuo eſt ornatus. 5. Ultimus ex Piaſtorum ſtemmate erat Caſimirus III.

4. *Quô pactô Poloniæ Regnum ad Jagellonicum ſtemma translatum eſt?*

Caſimirus, cùm liberîs careret, Poloniæ Proceres quà precibus, quà promiſſis permovit, ut Ludovicum Hungariæ Regẽ, Sororis Filium, ſucceſſorem cooptarent. Huic duæ erant filiæ, quarum natu minori Hedvigi Poloniæ corona promiſſa eſt, ea conditione, nè ulli alteri nuberet, quàm quem Status Polonici deſignaſſent. Hi, exclusîs aliîs procîs & competitoribûs, Regnum deferunt Jagelloni, Magno Lithvaniæ Duci hîs conditionibûs: 1. ut Chriſtianam Religionem amplectatur. 2, Ut Lithvaniæ Ducatum cum Regno Poloniæ conjungat. 3. Ut Wilhelmo Auſtriæ Archiduci, quèm Ludovicus filiæ Hedvigi ſponſum deſtinaverat, ducenta ſolidorum imperialium millia numeret. 4. Ut Provincias, à Polonia avulſas, recuperet. Quæ omnia, uti prolixè promiſerat, ità cumulatè præſtitit Jagello, ex cujus ſtemmate Reges Poloniæ uſq; ad Sigiſmundum Auguſtum, poſtremum ſtirpis hujus ſurculum, an: 1572.

emortuum, delecti fuêre. Cæteri exinde Reges è diversis adsciti familiis, ad supremum dignitatis festigium ordinum suffragatione conscendêre. Hodie Poloniæ sceptrum tenet Augustus, Saxoniæ Elector, ab anno 1733.

CAPUT II. §. II.

De divisione Poloniæ.

Quæ divisio Poloniæ?

POlonia Major, ad quàm pertinent Posnaniensis, Calissiensis Lanciciensis, Brestensis, Inovladislaviensis, Siradiensis, Ravensis, Palatinatus, ut & Vielunensis, & Dobrinensis Terræ. *Minor Polonia*, ad quàm Cracoviensis, Sandomiriensis, & Lublinensis Palatinatus portinent, ut & Olvecimensis, Zatoriensis, & Severiensis Ducatus. *Lithvania*, in qua tres numerantur Palatinatus; nempe Vilnensis, Trocensis, & Brzelcianensis. *Masovia*, quo referuntur, Masoviæ Plocensis & Podlachiæ Palatinatus. *Prussia Regia* in tres divisa Palatinatus; nimirum Culmensem, Mariæburgēsem & Pomeraniæ. Ad Prussiam pertinet etiā Episcopatus Varmiensis. *Samogitia*. quæ nullos habet Palatinatus, sed subest Gubernatori, sive Capitaneo. *Russia Alba*, quæ Magno *Moscoviæ* Ducatui adjacet, habetq; Novogrodensem. Mscislaviensem, Vitepscensem, Smolenscensem, Czerniechoviensem, Kijoviensem Palatinatus, ex quibus Palatinatibus multa adhuc possidet Magnus Dux

Mosco-

Moscoviæ durantibûs induciis. *Russia Rubra*, quò pertinent Russiæ, Podoliæ, Volhyniæ, Belzensis & Braclaviensis Palatinatus. Ex his Braclaviensē, Kijoviensem, & Czerniechoviensem Palatinatus vocāt Ukrainā. Tādem pertinet quoq; ad imperiū Polonicum Livoniæ pars Australis; consuli hic potest *Martin. Cromer: l. 1. de scrip: Polon: pag: 41. & sequ:* Starovolscius in *Polonia sua*, & alii Geographi.

Qualis adhuc 2dò juxta alios est divisio Poloniæ?

Deinde solet etiā Imperium Polonicum dividi generalissimè in *Poloniā* & *Magnum Ducatum Lithvaniæ*; & Populus ipse dividitur in duas gentes Polonicā & Lithvanicám. Item Senatores, aliiq; Magistratus majores, dicuntur esse duarū gentium, nimirùm Polonici & Lithvanici. Et hac ratione ad Poloniam pertinent; præter Majorem Minoremq; Poloniam, Prussiā & Masoviā, de quibus superiore numero actum est; etiā Russiæ Belzensis, Podoliæ, Braclaviæ, Wołhyniæ, Kijoviæ, Czerniechoviæque Palatinatus. *Vide Volumē Constitutionum Andr: Petricovii fol: 149. seq: & Constitut: Anno 1635: tit: Ordynacya Woiewodztwa Czerniechowskiego*, Ad Lithvaniam pertinent Litvania in spescie ita dicta, Samogitia, ut & Novogrodecensis, Mscislaviensis, Minscensis, Polocensis, Vitepscensis, & Smolenscensis Palatinatus, Sed *Livonia* utriq; genti, & *Lithvaniæ* communis facta est per Constitutiones

de An: 1569. fol. 182. Ac 1589. fol: 507. seq: An. 1598. fol. 208. seq.

Qualis tandem 3tiò Divisio Poloniæ?

Dividitur etiam Polonicum Imperiũ alió respectu in tres Gentes, nimirum in *Minorẽ Poloniam, Majorem Poloniam & Magnum Ducatũ Lithvaniæ.* Usus hujus divisionis conspicitur maximè in Comitiis, quando eligendus est Mareschalc9 Nuntiorũ, sive Delegatorũ Provincialiũ Director: ille enim semel ex minori, deinde in sequentibus Comitiis ex majori, & tertiis in Comitiis ex Lithvania eligitur. Est etiam hujus divisionis usus in variis Cõmissionibus, quando quidã designandi sunt ad negotia, quæ ad totam Rempublicã pertinent, expedienda. Item eadem ratione dividitur Polonia ratione summorũ Tribunaliũ.

Quæ opinio Geographorũ circa amplitudinẽ Poloniæ?

Amplitudini ditionis detrahunt imperiti quidã, objectantes infrequentiã Incolarũ, & copiã sylvarum, sed vel inde facilè arguuntur erroris; quòd ad Electoralia Comitia in campum Martium propè *Varsaviã* confluant multò plura, quã 100. millia solius Nobilitatis. Licet verò aliqui sint tenuioris fortunæ; plerią; numerosîs gaudentes subditîs, plurimi millibûs; nõ pauci justũ Exercitũ è millibus scribebant contra hostes Patriæ, & nunc etiã educere possunt. Adde subditos Spiritualium, Ecclesiasticorum, Religiosorum numero-

merosos; adde Incolas Civitatum, Judæos, Tartaros, &c.

Annô 1697. Initô in Magno Ducatu Lithvaniæ censû, inventa sunt 257. millia focorum, & 159. foci eorum tantum, qui ad contributiones publicas tenentur. Ubi Ecclesiastici, ubi Nobilitas, Milites, famulorum agmina? &c. Deinde, ad unum focum quod spectant capita? Olim Magno Duci Lithvaniæ trecenta & ampliùs hominum millia, in aciem educere, quæ potissimùm suppeditabat *Vilna* Metropolis, non erat operosum.

Alter non levior error Geographorum, Scriptorumq; aliquorum, qui eadem facie representat nunc Poloniam, Lithvaniam, aliasq; eis junctas Provincias, quâ olim squallebant, cùm interea allaborãte cultiore tempore elegantiores emerserint. Non desunt sua decora *Cracoviæ & Vilnæ*; habet, quibûs superbiat, Magnifica Palatia Regum Sedes *Varsavia*; quin tota Regio passim Aulîs Nobilium, ceu campus amænus vernantibûs flosculîs est distincta. Quod scribitur autem Lithvaniæ Magnum Ducatum adiri non posse nisi hyemali tempore, vel ignorantia est, vel impudens maledicentia; licet enim non desint loca quædam palustria. Quanta hæc pars Lithvaniæ? Commeamus ultrò citroq; quovis anni tempore, nec auditur de funeribus viatorum submersorum. Sed omissis hîsce

impe-

imperitorum ineptiîs, lustremus cursim memorabilia Poloniæ; Salis fodinas *Bochnenses & Vielisceanses*, ubi marmorum loco, columnæ salis eruuntur; fodinas nitri apud *Visliciã*; cupri apud *Tencinum*; chalybis apud *Podolentiam*; ferri apud *Olstiniam*; & plurimis aliis in locis plumbi, argenti & auri; in Palatinatu Cracoviensi & Sandomiriensi; marmorum, omnis generis colorum apud *Solciam*. Cracoviæ in Basilica S. Stanislai Episc: & Martyris visuntur duo ex solido argento Altaria, alterum à Sigismundo I. Rege, alterum ab Anna Regina constructum. In eadem Ecclesia nunquã est silentium, sed semper alternãtibûs chorîs, diu noctuq; resonãt DEI Laudes, & inter 100. quotidiana Sacrificia, octo sunt cantata, inter mille & 80. Templa Diœcasis Cracoviensis, novem sunt Collegiatæ. Agri *Poloniæ & Lithvaniæ*, Provinciarumq; illis incorporatarum, eâ frumenti abundant copiâ, ut ferè tantum variis Emporiis importetur, quantum toti alendæ Europæ sufficit.

§. 3.

De DUCIBUS & REGIBUS POLONIÆ.

Series & Acta præcipua Ducum & Regum POLONIÆ.

Quorum effigies ex originalibus, quæcunq; haberi potuerunt, translatæ spectantur in Palatio Zaluſciano Varſaviæ in Polonia.

LECHUS I. Regni hujus Auctor & Parens.

EX Slavonia oriundus cum finitimis Germaniæ populis bellô cõflixit, de finibus Unga-

ros contra Mauritium Imperatorem Socialibûs armîs strenuè defendit spectante utroq; exercitu tã Germanico quã Polono. Ad singulare certamen provocatus, interempto feliciter Germanorum Rege, fines Imperii sui promovit usq; ad littus Balthicum. Longobardos ex Svecia Mari Balthico effusos in Poloniam, ferrô ad Ungariæ fines ejecit, atq; inde in Italiam pepulit cum Duce Albino. Gnesnã, primã Regni sui sedem erexit. Nullîs legum tabulis usus, aut monetâ, nisi vel alienâ, vel rerum commutatione. Oblatîs ultro subditorum suorum frugibûs alebatur. Seniô tandem bellîsq; fractus, propagatô adultôq; Regnô, Gnesnæ mortalis esse desiit. Quos filios reliquerit Lechus? & quamdiu regnaverit? infans Regni nascentis fama, loqui adhuc nescia, reticuit.

VISIMIRIS Lechi Nepos.

VIsimiriam & Gedanû, ex humilibus Piscatorum casis, ad promontoriũ Prussiæ provexit, erexitq;. Terrâ Mariq; cum Danis cõflixit & Svecis. Fusô exercitû, Sivardum Regem Daniæ in fugam egit, Jarmerico ejus Filiô inter victoriæ spolia captô.

PALATINI XII.

SCissâ in partes Gubernantium Republicâ, Germani bellô ereptas à Lecho Provincias vendicarũt, nemine resistente. Inde Palatini in Gnesnensibus Comitiis à Gubernatione

ue Reipublicæ rejecti, Fasces & fastū misêre.

CRACUS Lechi Nepos.

POst longā in Gnesnensibus comitiis deliberationem, unâ omniū sententiâ adito Principatu, novîs legibûs firmavit Rempublicā. Francos Orientales per Pañoniā in Poloniæ fines effusos profligavit & depulit. Romanos Germanosq; repetitîs prælîis vicit. Bohæmiæ Regnū ultro se Craci submisit Imperio. Cracoviam erexit, Arcemq; Vavello monti imposuit, & eò sedem Regum, Gnesnâ transtulit. Draconem portentosæ magnitudinis sub Arce latitantem peremit. In Lassotino demum jugo sepultus est. Nimirum: quem sui Cives cælo inferre nōn poterant, integro monte utcumq; sideribus admoverunt.

LECHUS II. Craci Filius.

UT Patri ad Regnum Poloniarū succederet, Fratrem natu majorem specie venationis peremit: scelere detecto paucîs ab electione diebûs pulsus in exilium. Indignus eā tellurem calcare, quā fraterno sāguine imbuerat.

VANDA Craci Filia.

RItigerum Germaniæ Principē, repudiatô illius coñubiô, felici prælio prosternit. In Vistulam sponte delapsa, Virginitatem suā devovet ignoto Deo. In alto mōte tumulatur prope villam, à suis manibus Mogiła dictam. Ritigerus verò vî amoris subactus, dolori succubuit infelix, cui nec amores bene cesserunt nec odia.

PRE-

PREMISLAUS I. ſeu Leſco I.

MOravos, prædã in confiniis Regni agentes, ingenioſo ſtratagemate fudit fugavitq; Præmisliam à ſuo nomine appellatam erexit. Ex aurifabro Princeps verè aureus.

LESKO Fraudulentus.

FRaude occupati Principatûs detectâ, Regnô & vitâ pulſus. Docuit, parum valere ſcelera ad Imperium.

LESCO II.

CUm Caroli M. Exercitu ex Ungaria in Saxoniam eunte inter Albim & Salam fortiter dimicavit. Plebeja veſte, ſuæ originis teſte, nunquam exui voluit. Ne verò Poloni temerè ſibi Sceptrum detuliſſe viderentur, effecit: optimè imperando.

LESCO III. Leſconis II. Filius.

SLavis Polonorum Conſanguineis, Hungariam Imperiô tenentibus, auxiliô adfuit, & cum hoſtibus proſperè feliciterq; dimicavit. Finitimos populos origini ſuæ inſultantes ferrô domuit. Diviſîs, illegitimos inter Filios Provinciîs, Regni amplitudo imminuta. In Saxonia, (quàm Imperio quoq; tenebat,) ſepultus ritu antiquo. Longiùs Regno abductus: ne moriens contriſtaret, quòs totô vitæ ſuæ cursû recreabat.

POPIELUS I.

NUlla geſſit bella, Exactîs aliquot annîs in Principatu, Cruſviciæ obiit, Arcem in Cujavia

javia ad Lacum Goplo erexit. Sedem Regni Cracoviâ Gnesnam, deinde Crusviciam trãstulit. Imperando, frequenter se suosq; muribus devovebat. Respõdit tandem male usurpato voto eventus, destinatam à superis pœnam ad posteros ejus differendo: nimirum: sæpè luũt posteri, quòd majores imprecãtur.

POPIELUS II. Popieli I, Filius.

MAgistratus venales habuit Crudelis & lascivus. Patruos venenô exstinxit, ne Regno succederent. Circa Ann: 823. Crusviciæ obiit, peremptus à muribus, qui ex Cadaveribus Patruorum prognati arcem Regiã invaluerunt, & de tota stirpe tanti facinoris pænã exegêre documentô posteris: quã parum intersit supremã inter fortunam Principum & extremam, sæpè vili ab ictu posternuntur.

PIASTUS Incola Crusvicensis.

MAgnarum virtutum Princeps, Throni Sociam Repicham habuit, conditione originis parem & moribꝰ. Centuariatis Crusviciæ Regni Comitiis, electꝰ in Principem, Septuaginta annorum ævô gravis. Nullos hostes habuit præter Filios Lesconis III. Cælesti ope auctus dapes Electoribus suis apposuit. Regiam Crusviciâ Gnesnam transtulit. Ubi diem supremum clausit annô ætatis 120. Princeps, quèm aut nunquã præstabat eligi, aut nunquàm mori, post quinquaginta añorum Imperium integerrimè administratum.

ZEMO-

ZEMOVITUS Piasti Filius.

AD Martem & bella natus Princeps, Somni parcissimus, cultu corporis victuq; par cuique Militum, alieni abstinens, liberalis, & justus. Cum Moravis, Prussis, Ungaris, Germanis, Pomeranis, & Cassubitis feliciter cõflixit. Silesiam temporibus utriusq; Popieli ereptã Polonis restituit; sicut Prussiã, Pomeraniam & Cassubiam. Gnesnæ obiit an: ætatis 32. Hoc uno excessu de Poloniæ Regno malè meritus, quòd diutiùs non regnasset.

LESCO IV. Zemoviti Filius.

INitia sui Principatûs odiîs exasperata nactus, Regia liberalitate hostium conatus elidebat. Oleæ, quàm palmæ studiosior, raræ in subditos benevolentiæ Princeps, cùm diu non posset, benè vixit, & obiit. Duo tamen in Regno difficillima sociavit: prodesse Reipublicæ, & placere.

ZEMOMISLUS Lesconis IV. Filius.

PAtri suo quàm Avo similior semper extitit. Lassata nimirũ Zemoviti præliîs Bellona, etiam sub Nepotis imperio respiravit. Tamen in tanta Regni tranquillitate, nihil posterorum memoriâ dignum egerat Zemomislus, nisi Miecislaũ Filium reliquisset. Gnesnæ ritu Patrio tumulatus.

MIECISLAUS I. Christianus Princeps.

SAcro fonte ablutus, & fidẽ orthodoxã recepit, & oculos, quos per Septenniũ natu-

raclauserat InterHymenæi tedasDeos ipsos, araq; Gentiles vero Numini immolavit. Religionē Romanā per omnes Regni Provincias propagavit. Archiepiscopatum Gnesnensem, & Cracoviensem, cōpluresq; alios Episcopatus erexit. Premisliam aliaquè oppida Vlodimiro Russorū Duce populāte improsperè bellum egit; sed feliciùs cum Bohemis Proceribus congressus, Boleslaum Dambrowcæ Fratris Filium in Paternum Regnū asserturus. Pragam enim cepit, & in ea totam Bohemiam restituit. Sub tā Religioso Principe, mos erat Polonis Equitibus strictô mediô tenus gladiô, Sacri Evangelii audire lectionem. Regnavit annos 35. obiit 999 non impetrato à Pontifice Romano Diademate Regio, pro quo Lambertum Cracoviensem Episcopum Legatum miserat

BOLESLAUS Chrobri, Miecislai Filius,
Primus REX Poloniæ.

COronam Regiā, nec non D. Mauritii hastā, cum clavo Salvatoris, donô accepit ab Ottone III, cū hic hospes in Poloniā, Sacra D. M. Adalberti Lipsana veneraturus, advenisset. Per bienium quievit ab armis, ut religionē stabiliret. Saxoniam, Bohemiā Moraviā, Russiam victoriis peragravit, & Tributum annuum imposuit. Russos verò Regiam credulitatem sæpius eludentes, armîs exuit, arcibusq;. Ossæ, Borysthenis columnas æreas defixit.

defixit. Moritur an: 1015, conditur Posnaniæ.

MIECISLAUS II. Boleslai Chrobri Filius.

JUstîs Parentalibûs optimo Patri persolutîs Posnaniæ coronatur, cum Rixa Uxore; quã illi vivente Patre, Otto Imperator hospes desponderat. Cum Prussis, Moravis, Bohemis, Pomeranis vario marte colluctatus, sed tandem feliciter fregit domuitq; perinde atq; Jaroslaum Ducem Russorum. Annô demum ætatis 44. Regni 9. Posnaniæ tumulatur.

CASIMIRUS I. Miecislai II. Filius.

POlonia fatali Interregnô, & terræmotu insolito concussa, repetit ex Cluniacensi Monasterio Casimirum jam Diaconum. Hic adornato primùm in Masoviã bello Prussorũ & Jazvingarum suppetiis validã, fundit hostes fugatq; ipsum verò belli auctorem Maslaum in Crucem agit. Benedictinos Cluniacô advocat; Tyneciam arcem illis cum cẽtum pagis tradit ad novam coloniam. Similiter Lubinense oppidum ad erigendũ Monasterium elargitur. Religiosissimi Principis mortem ingens cometa scribitur præcessisse: quasi, viam ad astra monstraturus.

BOLESLAUS II. Cognomento Audax, Filius Casimiri.

DEcimum sextum ætatis annum nondum egressus, Regnum, & diadema Paternum obtinet; Bohemicîs, Silesicîs, Hungaricîs, Russicîs, toties palmîs insignis. Felicior tamen

men esset; si triumphalem illum gladium, quô tot hostes vicerat, & auream Kijoviæ portam secuit, à nece D. Stanislai continuisset; neq; tot victoriarum memoriam innocentissimo Sanguine delevisset. Quanquam Regnô, & obedientiâ subditorum exutus, rem miraculô majorem præstitit, postquàm in Carinthiæ asceterio decessit Sanctissimè, exemplum daturus Principibus.

VLADISLAUS Hermanus, Boleslai Frater.

CRacoviæ electus, à Coronatione abstinuit, Poloniã interdictô liberat Pontificiô. Prussicum, Pomeranicum, ac Bohemicum bellũ fortissimè gerit, victore ubiq; Seciecho Exercituum Poloniæ Duce Generalissimo. Rebellis primũ Zbignei, deinde supplicis maluit lachrymas spectare, quã Sanguinem. Tandem añis viginti Regnũ potitus, ætatis 59. Plociæ tumulatur. Gloriosiùs imperaturus, nisi impotẽtis Seciechi nutibus nimiũ se permisisset.

BOLESLAUS Crivoustus, Vladislai Filius.

PAtris imaginem à corde magis, quàm è collo ferebat quotidie. Loricam sæpius quàm purpuram induit. Henricum IV. Romanorum Imperatorem numerosissimo exuit exercitu; Zbignei Spurii Fratris fraudibûs provocatus, Bohemicam, Pomeranicamq; perfidiam egregiè ultus. Zelislaum Ducem ob amissam in bello manum aureâ dexterâ, alium, ex acie transfugam, leporina pelle mune-

muneratus; Germanicus, Danicus, Russicus Triumphator, quadragesies Septies victor. Russorum demum, & Hungarorum fraudibûs circumventus, post cruentam hostil s, suiq; exercitûs cædem, triginta sex annis in Regno exactîs, ævi sui quinquaginta tribûs, juxta Patrē Plociæ reconditus, docuit; Rarā esse fortunam sine infortunii appendice.

VLADISLAUS II. Crivousti Filius.

PRæliô fratres aggressus ad Posnaniam, superatur, regnôq; exulat, frustra Conradô, & Fridericô Imperatoribûs Romanîs restitutionem solii Vladislao spondentibûs. Nimirum hoc est impotentis ambitionis fatū, appetendo aliena, sua plerumq; amittere.

BOLESLAUS Crispus, Filius Crivousti.

PLura Bella composuit, quàm egit. Prussiæ, Pomeraniæq; Romanam fidem persvasit armîs. Ad instantiam Friderici Barbozæ Imperatoris Romanorum, anno 1163. concedit pro alimentis Silesiam Vladislao Fratri, qui ex Regno cum Christina in Germaniā profugerat. Bolesta, Castellanus Visnensis Gnesnæ à Rege judicatus, & rogo addictus, quòd Vernerum Episcopum Plocensem per Sicarios peremisset. Bohemi, & Germani rejecti à finibus Poloniæ. Tot. tantîsq; auctus meritîs Boleslaus, post infaustum cùm Pruthenis bellum, & diram per omnes Provincias famem, gravi morbo succubuit. Anno 1173.

ætatis 46. in Arce Cracovienſi, relicto Leſcone Albo, terræ mandatus.

MIECISLAUS Senex, Frater Boleslai Criſpi.

ASperè, & fraudulenter dominatur. Ingenium non indignum Majeſtate, purpura efferavit. Nihil ſub eo liberum in Polonia, ne vox quidem. Avaritiæ ſupra modum deditus, noluit divitibus imperare, optimis infenſus Conſiliariis; ſalutaria Epiſcopi Cracovienſis Gedeonis ſpernebat monita. Neque fruſtra illo regnante ingenti terræ motu cõtremuit Polonia, quaſi jugum mali Principis excuſſura. Reſpondit brevi ſolicitis votis eventus. Poſt 4. Annos Principatûs clandeſtinîs Senatorum artibûs è ſolio dejectus, reliquit poſteris documentum: raro eſſe diuturna improborum Imperia.

CASIMIRUS Juſtus.

IMpactò à Colluſore Equite colaphô, cùm omnes læſæ Majeſtatis reum conclamarent, Caſimirus ſe reum dixit, & Equitem abſolvit. Effrenem Magiſtratuum licentiam ſuîs imprimis moribûs, deinde legibûs còércuit. Semel ſeverus, ne ſemper eſſe cogeretur. Vladislaum Fratrem, & Vlodymirum hoſtem, rebelles ſubditos jam armîs, jam benevolentiâ vicit. Miecislao Haliciensium Duci, titulum Ducalem vi, & armis, reſtituit. Pruſſiæ Pomeraniæq; toties donavit veniam, toties Ruſſiam ad obſequium còégit victore

ferro.

ferro. Quantùm non à Civibus modò ſuis, ſed à ſuperis quoq; æſtimaretur, Divus Florianus Martyr porrectâ è Sarcophago dexterâ palam fecit, Stipulatâ planè manu ſub Caſimiri ſignis militaturus. Fratre Miecislao, Hungaris, & Pruthenis compoſitis, in feſtivo Convivio ſubita morte extingvitur. Non recuſante protinùs exire animo, quem ſecura certò exſpectabat immortalitas. Cracoviæ conditus anno 1195.

LESCO Albus, Caſimiri Filius.

MIecislaum Senem ad Mozgavam Fluvium felici acie vincit, ſaucioquè vitam donat. Romanum Halicenſium à ſe creatū Ducem, Provincias Poloniæ invadentem, cruentô præliô reprimit. Illo regnate accēſus in Oriente Cometes portentoſæ magnitudinis, incendiariam Tartarorum irruptionem, fatali crine demonſtravit. Princeps nulli, niſi peſſimo malus, à Svetopelco Pomeraniæ Gubernatore callidè circumventus, & ſola animi magnitudine tectus, poſt balnea, cum armatis fortiter dimicans, integerrimam cælo animam reddidit. Adeo, à nulla Majeſtate procul eſt caſus. Tumulatus Cracoviæ.

BOLESLAUS Pudicus, Leſconis Albi Filius.

AUreus Princeps in ſæculum ferreum inciderat. Ter Regno potius, ter exutus, Tartaris

taris per Poloniæ Provincias effusis, Henricus Pius Vratislaviensium Dux cum Exercitu occurens deletus. A Conrado principe Patruo, Regnum Poloniæ ambiente, motus Civiles excitati. Verùm Belæ Hungariæ Regis patrocinio fultus, rebellis Russiæ, Silesiæ, Moraviæ motus ferrô emendavit. Jazvingas unô præliô ad internetionẽ Nominis delevit; Tartaros, prædam è Regni visceribus agentes, finibûs ejecit. Inconditos discordantium Civium mores salis fodinîs cælitus apertis temperavit. Post tot Throni, Thoriq; sui miracula, nullam posteritatem reliquit, præter Regiæ innocentiæ famam immortalem; ad pudicitiæ præmium evocatus 1276.

LESCO Niger, Siradiensium Dux.

A Pudico Rege in fortunæ, & gloriæ hæreditatem inconsultîs Reipubl: Ordinibûs adscitus, Regnô à Polonis pulsus, ab exteris restitutus, æmulô rejectô. Tutelaribûs D. Michaëlis suppetiîs fultus, ingentes Russorum, Tartarorumq; copias fudit, fugavitq;. Rebelles Cives veniâ donavit supplices; neque in hostes captivos sævitum. Illatas à Cõrado injurias ferro vindicavit & igne. Verũ dum palmas, laurosq; Regni sui finibus infert, onustâ prædis alienis victoriâ depressus est, amissa potiore parte exercitûs, in flumine, quod tranabat. Tumulatur anno 1289.

PRE-

PREMISLAUS II. Majoris Poloniæ & Pomeraniæ Princeps.

DUm ingentes meditatur actus, octavo sui Regni mense à Marchionibus Brandeburgicis per insidias vitâ simul, & purpurâ exutus est. Ipsis Bacchi hilariis ad parricidium abusi hostes. Dicata piacularibus Cineribus die, innocentissima Regni victima in favillas abiit Annô 1295.

VENCESLAUS Bohemus, Rex Bohemorũ.

SCissa in partes Republicâ, simul cum Lochtico Lesconis fratre electus; Locticus tamen post quadriennium usurpati Imperii propter impudentiæ licentiam rejectus à Polonis, Bohemorum Regi cessit solium. Verùm cum duplicis Regni Hæres Venceslaus, Polonos minùs sibi fideles credidit, fecit; & dum falli timuit, fallere docuit. Extinctus *Pragæ* 1305. Rixæ suæ ingeniô perturbata corruptaquè Polonia.

VLADISLAUS Locticus, Lesconis Frater.

DEfunctô Venceslaô solium repetit Polonorum, impetratoquè à Joanne XXII. Pontifice maximo diademate Regio (quod olim per totum quadriennium usurpare nõ audebat Venceslaus cum quo divisis Reip: suffragiis electus fuerat.) Coronatur Cracoviæ simul cum Hedvige consorte Annô 1320. Resumpti Regni decimoquinto. Nihil in eo humile fuit præter staturam Corporis. A-

 nimus

nimus par maximis, bis coronatus, bis un-ctus. Ne Gediminus Lithvanorum Dux fi-ctus. fines suos vastaret, eum sibi affinem fecit, Fi-liâ Gedimini Casimiro Filio elocatâ non alia dote, quàm ut bello capti Poloniæ redde-rentur. Tanto affinitatis fœdere auctus Vla-dislaus, aliquoties fudit, fugavitq; Cruci-feros, & ad firmandas pacis inducias cöegit. Verùm cum post bella tantisper respirat, exspirat Annô 1333. Mense Martio ad Mar-tem natus Princeps

Magnus CASIMIRUS, Loctici Filius.

CUbitalis Parentis ingens Filius, coronatus, cum Anna consorte, Gedimini Duc: M. D. L. Filia, ter in Russiam ducto Exercitu, Re-ter victor, nunquàm voluit triumphare. dacta tandem armís in formam Provinciæ à Casimiro Russia, Leopoliensi Antistiti ab Urbano V. subjecta est. Major nihilominùs apparuit Casimirus Magnus; post quàm Va-ticano fulmine tactus, quidquid in suis pra-vô exemplô destruxerat, erectîs compluri-bûs Templîs reparavit; tenuesque Cives à potentiorum vi, Sanctissimîs legibûs præ-munivit. Urbem nominis sui recordationi dedicatam, extra Cracoviensia Pomæria ex-citavit; ut Cives suos quos non liceret ma-nibûs, mænibûs arctiùs complecteretur. Im-pletâ ingentibûs meritîs magni mensurâ no-minis, equô delapsus in venatione, cessit in prædam avaræ morti, 1371.

LU-

LUDOVICUS Hungarus.

AVunculi sui suffragiô Jus Regni Poloniarum obtinuit. Pannonicus tamen Rex dici maluerat, quàm Polonicus; ideoq; in odia Civium ad primum solii limẽ impegit, quod invitus regnare videretur. Ne tamen sceptro palàm renuntiaret! Matri Poloniã reliquit gubernandam, ipse in Hungariam regressus- Absente diu Principe, longum legum silentium successit, & nullis non aperta via sceleribus. Ludovico interim de Russia Hungariæ adjungenda cogitante. Sed dũ Poloniæ minuere amplitudinem meditatur, vitâ, & Regnô exutus est; hoc unum meritus, ut mortuus à paucis ploraretur. Annô 1382 Regnavit annos. 12.

VLADISLAUS JAGELLO M. D. L. Princeps.

CRacoviæ cum Fratre Vitoldo Sacro fonte ablutus, Vladislai nomen accepit. Unit Lithvaniam Poloniæ. Cracoviensem Academiam erigit adscitîs ex Pragensi Universitate Magistrîs. Civilibûs dissidiîs compositîs Cruciferorum quinquaginta millia profligat, Magistrô ordinis captô: supra quadraginta quatuor millia ex acie ducta in Poloniam; signa hostilia quinquaginta duo in Basilica Cracoviensi Deo exercituum appẽsa in tropheum. Annîs quinquaginta duobûs in Imperio exactîs, Religionis defensor

acerri-

acerrimus ad Lauream evocatus Grodeci Mense Junio, duobûs Filiîs Vladislaô, & Casimirô in solatium mæstæ Poloniæ relictîs.

VLADISLAUS III. JAGELLONIDES.

AD Hungariæ Regnum invitatus, Albam Regiam inaugurandus deducitur; & diadema in Basilica S. Stephani à Strigoniensi Episcopo accipit. Bulgariam, Rasciam, Romaniam, victoriîs emensus, bellum tandem contra Amurathem suscipit; de quo repentè victor in prælio ad Varnam equo lebente cecidit, in Janidziaros cum paucis suorum acriùs invectus dissipatô hostium equitatu, regnavit, in Polonia, annis 11. in Hungaria 5. Adolescens propè vigesimum emensus ætatis annum.

CASIMIRUS VLADISLAI FRATER.

MAriæburgum à Cruciferis occupatum cum suis propugnaculis, auró redimere maluit, quàm ferrô; parcendum ratus sangvini potiùs, quàm æri; hic ex Elisabetha Imperatoris Alberti Filia suscepit Vladislaum Bohemiæ & Hungariæ Regem; Divum Casimirum (qui ab Hungaris Rex expetitus, mutatîs eorum animîs, Vilnæ 26to ætátis obiit:) Joannem Adalbertum, Alaxandrum, Sigismundum RegesPoloniæ, & Fridericum S. R. Ecclesiæ Cardinalem, Gnesnensem Archiepiscopum, & Cracoviensem simul. Discessit è vivis postquam regnâsset quadra-

quadraginta duobus, vixisset 64. annô 1492.

JOANNES ALBERTUS Casimiri Filius.

CAllimacho ex Italia profugo Consule usus, in odia Polonorum incurrerat. In bello Moldavico circumventus, & icto fœdere profligatus. Torunii apoplexiâ tactus occubuit. Princeps nulli Regum secundus, si fortuna ingenio respondisset. Annis propè novem regnavit.

ALEXANDER, JOANNIS ALBERTI Frater.

STephanum Moldaviæ Palatinum malè occupatâ Pokutiâ primùm, deindè vitâ expulit. Prædones Getas Poloniæ spoliis tumidos fugavit, & postea occursu cæcidit fortiter. Egit in vita annos 46, in Regno propè 5, delatus ad tumulum 1506. Elogium apud posteros obtinuit; quòd nihil in fortuna sua majùs habuerit, quàm ut posset; nihil meliùs, quàm ut vellet omnibus benefacere.

SIGISMUNDUS I. Frater ALEXANDRI.

FRatrum ultimus ad Regiam evectus dignitatem, 40. Moschorum millibûs cæsîs, Borysthenem erubescere coëgit effuso sangvine peremptorum. Pacificam de moschorum Duce Basilio palmam, Scythicæ, Moldavicæ, Prussicæ, & Turcicæ, lauri sunt comitatæ. Pullulantem in Balthico littore hæreseos angvem in ovo suffocavit. Annorum atq; gloriæ plenus, Regni sui Diadema tra-

dere

dere maluit filio, quàm relinquere. Annos duos nactus supra 40. rerum potitus, ad præmium rectefactorum evocatus

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Filius Sigismundi Primi.

BOna è Sforciis Matre genitus Patris appellationē in suos mores trahens, Sexagenario patri meruit in Throno assidere, omnibûs prælîis victor, Cruciferos, ac Moschos à Polonia repressit; eamquè Curlandiæ ac Semi-Galliæ accessibûs cumulavit. Humanîs sacrîsquè legibûs confirmatîs, florentissima pace beatam reliquit Patriam. Libertatis assertor, Comitiorum Parens, & Auctor. Extinctus Knyszynii, ævi sui 50. ultimus Jagellonides.

HENRICVS VALESIVS.

DE morte Regis Galliarum Germani sui admonitus inconsultîs Regni ordinibûs, post anni unius gubernationem lilia Galliarum aureis Poloniæ sceptris præposuit, in Gallias reversus.

STEPHANVS BATHORY, Tránsylvaniæ Princeps.

DIvisâ Repub: electus & coronatus, aliis Maximilianû Imperatorem, aliis Stephanum renuntiantibus. Dissidium Ordinum Regni in Generali tandem Conventu Pacificationis Andrejoviæ compositum. Bellum contra rebelles Gedanenses, nec non contra

Basili-

Basilium Ducem Moschoviæ gessit prosperrimè Tribunalitia Regni Judicia instituit: Tandem absolutissimus Princeps Grodnæ vivere desiit regnavit annos 11

SIGISMVNDVS III. JOANNIS Sveciæ Gottorum Vandalorumq; Regis Filius.

MAtre Catharina Jagellonia, Vladislai Jagellonis Poloniæ Regis Filiâ natus, nequidquam prævalente Maximiliano Rudolphi Imperatoris Fratre, Rex Poloniæ Electus, divisis Reipublicæ in Maximilianum suffragiis. Turcarum sub Chotimo 40. millia, Tartarorum 100 millia repressit, deletis ad internecionem sexaginta millibus barbarorum: Moschorum Regnum sibi subegit; Filiumqué Vladislaum, Magnum Moschoviæ Carum inauguravit; obiit Varsaviæ Anno ætatis suæ 66to.

VLADISLAVS IV. SIGISMVNDI III. Filius.

IN Paternum Solium pronis omnium suffragiis. uno tantum ad speciem libertatis non nihil reclamante, electus; & vix Coronetus triplicem nactus hostem, Moschum in Severia, Turcam in Podolia, Svecum in Prussia, victor de omnibus. Obiit Merecii 20. Maji.

JOANNES CASIMIRVS, VLADISLAI Quarti Frater.

PRessam Sveticis, Moscoviticis, Kozaticis,

Hun-

Hungaricis, Tartaricis, Civilibûs armis, Patriam ab ultimis ferè vindicavit ruinis: Regnavit annos 20. abdicavit Diadema 1668.

MICHAEL KORYBVTVS WISNIOWIECCIUS.

ADmirando omnium Regni Ordinum consensu Rex proclamatus, & Coronatus Anno Regis Regum 1669. Obiit Leopoli die S. Martini, illa ipsa die, quà ad Chotimum expugnatis, & cæsis triginta millibûs, Exercitus Regni & M. D. L. insignem de barbaris victoriam reportavit.

JOANNES III. SOBIESCIUS.

GEneralissimus armorum Regni Ductor, & Mareschalcus; Augusti Corporis Majestate, & absolutæ prudentiæ amplitudine, dignus olim Terrarum Imperiô, Rex Poloniæ omnium ordinum votis renuntiatus Varsaviæ, Coronatus Cracoviæ à Primate Regni Andrea Olszovio, Turcarum, Cozacorum, Tartarorumqué fulmen; bis Orientem Castris exuit; semel ad Chotimum, iterum ad Viennam Sacri Belli Generalissimus. *R*egnãdi artibus, & rerum gestarum gloriâ nulli *R*egum post *R*eges natos secundus. Post 23. Annorum *R*egna, & acta immortalia eodem die, quo Solium conscenderat, mortalis esse desiit Anno 1697. Die *SS. TRINITATIS*, relictis tribûs Principibûs Filiis, Jacobo, Alexandro, Constantino, & Serenissima Filia Bavariæ Electoris consorte.

AU-

AUGUSTUS .I

SAcri Imperii Elector, & hæreditarius Saxoniæ Princeps, post Hungaricas, Turcicasquè Laureas ad Regni Poloniarum Coronam suffragiîs ordinum expetitus, Die 27. Junii Electus, 15. Septembris Coronatus 1697. Rarô in Saxonia exemplô Religionem nobilitavit Orthodoxam; & totum ita exterruit Orientem, ut ad tamdiu expectata Universalis Pacis fœdera inclinaret 1699.

AUGUSTUS III.

IMperii Elector; Saxoniæ, Patrii Nominis, & Orthodoxæ fidei hæreditarius Princeps, ex quò clavum Regni capessere cæpit 5. Octobris 1733. ad pacis, & trãquilitatis internæ uberrimos fructꝰ (quos plurimîs annîs percipit Polonia) cum sua Sponsa inauguratus consvetô Patriæ ritû Cracoviæ 17. Januarii, 1634. Fide, pietate, nec non Regiæ virtutis prodigiô, in Austria, Polonia, Saxonia celebratam, associavit Sibi Sponsam, Mariam Josepham Austriacam Josephi I. Imperatoris primogenitam Annô 1719. die 20. Augusti Lectissima Prole quinquè Principum Filiorum, Friderici, Xaverii, Caroli, Alberti, Clementis; sex Principum Filiarum, M.

Amaliæ Reginæ Serenissimo Carolo utriusq; Siciliæ Regi Annò 1738. desponsatæ; M. Annæ, M. Josephæ, M. Christinæ, M. Elisabethæ, M. Cunegundis, ambo Coronati, fortunatam Throni, & tori augent felicitatem. Quibus, orthodoxa Religio, tanquàm primis iterum in Saxonia Progenitoribus immortalem gloriam; avita pietas strenuissimis Divorum Cultoribus uberrimam prosperitatem; inclyta Polonia suis Majestatibus ad pacis fæderatæ non interrupta auguria, perennantem in Posteritate ejus precatur vitam, vovet gloriam, optat fortunam.

§. 4.

De Ordine Poloniæ.

SEnatores Regni opibûs potentes numerat *Starovolscius* 146. nimirum sunt 1mò. *Duo Archi-Episcopi, & Episcopi 15. II. Palatini 33. cum Castellanis 3. & Capitaneo 1. III. Castellani majores 33. IV. Castellani minores 49. V. Ministri status 10.*

Signa hæc () exprimunt qua in parte destinatũ in Senatu subsellium cuiq; Senatori.

Primum signum seu *Parenthesis* (Dexteram partem: Secundum *Claudens*,) Signũ sinistram partem denotat.

Adscripti præterea cuivis Palatino, numeri, eo fine ut facilius reperiri queat, quinam Castel-

lani

lani quibus Palatinis atribuuntur. Exempli causâ numerus 5. est adſcriptus Palatino Caliſſienſi, proinde hic numerus 5. inter Caſtellanos Majores deſignat Caſtellanos Caliſſienſem, & Gneſnenſem, huic attribui Palatinatui, pari ratione inter Caſtellanos minores, Caſtellanum Landenſem, Naclenſem, Biechovienſem, Camenenſem, ad Caliſſienſem Palatinatum ſpectare hic numerus 5. demonſtrat. Non in omnibus porro Palatinatibus ſunt Caſtellani minores, ſed tantum in Majori, Minoriq; Polonia, Maſovia, Palatinatu Ruſſiæ, & Betzenſi.

Qui Senatores Sacri Collegii?

(Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, & Primas Regni.
) Archi-Epiſcopus *Leopolienſis.*

Qui Epiſcopi?

) Cracovienſis *in Minori Polonia.*
(Cujavienſis *in Majore Polonia.*
) Poſnanienſis *in Minore Polonia.* * Alter-
) Vilnenſis *in Lithvania.* * nant.
(Plocenſis *in Maſovia.*
(Varminenſis *in Pruſſia.* * Alter-
(Luceorienſis *in Volhynia.* * nant.
(Premislienſis *in Ruſſia Rubra.*
(Samogitiæ, *ſive* Mednicenſis.
(Culmenſis *in Pruſſia.*
(Chełmenſis, *in Ruſſia Rubra.*
(Kijovienſis *ad Boryſt.* G2 (Ka-

(Kamenecenſis *in Podolia.*
(Smolenſcenſis, *in Ruſſia Alba.*
(Livoniæ & Piltinenſis.

Qui Senatores Sæcularis Subſellii?

1) Caſtellanus *Cracovienſis*
1) Palatinatus *Cracovienſis,* * Alternatio
2) *Poſnanienſis,* * inter hos
3) *Vilnenſis,* * obtinet.
4) *Sandomirienſis,* *
3) Caſtellanus *Vilnenſis.*
5) Palatinus *Caliſſienſis.*
6) *Trocenſis.*
7) *Siradienſis.*
6 (Caſtellanus *Trocenſis.*
8) Palatinus *Lancicienſis.*
9 (Capitaneus *Samogitiæ.*
10) Palatinus *Breſtenſis Cujavienſis.*
11) *Kijovienſis.*
12) *Inovladislavienſis.*
13) *Ruſſiæ.*
14) *Volhyniæ.*
15) *Podoliæ.*
16 (*Smolenſcenſis,*
17) *Lublinenſis.*
18 (*Polocenſis.*
19) *Belzenſis.*
20 (*Novogrodenſis.*
21) *Plocenſis.*
22 (*Vitepſcenſis,*
23 (*Maſoviæ.*
24) *Podlachiæ.*
25 (*Ravenſis*
26 (*Breſtenſis.* Lithv.
27) *Culmenſis.*
28 (*Mſcislavienſis.*
29 (*Mariæburgenſis.*
30 (*Braclævienſis.*
31 (*Pomeraniæ.*
32 (*Minſcenſis.*
33 (*Livoniæ.*
34) *Czerniechovienſis.*

Qui Caſtellani Ninores ſunt?

1) *Poſnanienſis.*
4) *Sandomirienſis,*
5) *Caliſſienſis,*
1) *Voynicenſis.*

5.) Gne-

5) *Gnesnensis.*
7 (*Siradiensis.*
8) *Lanciciensis.*
9 (*Samogitiæ.*
10) *Brestensis,* Cujav.
11) *Kijoviensis.*
12) *Inovladislaviensi.*
13) *Leopoliensis,*
14) *Wołhyniæ.*
15) *Camenecensis.*
16 (*Smolenscensis.*
17) *Lublinensis.*
18 (*Plocensis.*
19) *Bełzensis.*
20 (*Novogrodensis.*
21 (*Plocensis.*
22 (*Vitepscensis.*
23 (*Cernensis.*
24) *Podlachiæ.*
25 (*Ravensis*
26 (*Brestensis* Lichv:
27 (*Culmensis*
28 (*Mscislaviensis.*
29) *Elbingensis*
30) *Bræclaviensis.*
31 (*Gedanensis.*
32 (*Minscensis.*
33) *Livoniæ.*
34 (*Czerniechoviẽsis.*

Qui Castellani minores?

1 (*Sanedensis.*
2) *Mederecensis.*
4 (*Vislicensis.*
1) *Biecensis.*
2 (*Rogosinensis.*
4) *Radomiensis*
4 (*Zavichostensis.*
5) *Laudensis.*
2 (*Sremensis.*
4) *Zarnoviensis.*
4 (*Małogostensis.*
7) *Vielunensis.*
13 (*Premysliensis.*
13) *Halicensis.*
13 (*Sanocensis.*
13) *Chelmensis.*
12 (*Dobrinensis.*
4) *Polanicensis.*
2 (*Premetensis.*
2) *Kruvinensis.*
4 (*Czechoviensis.*
5) *Naclensis.*
7 (*Rospiriensis.*
5) *Biechoviensis.*
12 (*Bidgostensis.*
8) *Bresinensis.*
2 (*Krusvicensis.*
1) *Osvecimensis.*
5 (*Camenensis.*
7) *Spicimiriensis.*

 8 (*Ino-*

8 (*Inovlodenſis.*
10) *Kovalienſis.*
2 (*Santocenſis.*
25) *Sochaczevienſis.*
23 (*Varſavienſis.*
25) *Goſtinenſis.*
23 (*Viſnenſis.*
21) *Racianſenſis.*
21 (*Sierpcenſis.*
23) *Wyſogrodenſis.*
12 (*Ripinenſis.*
23) *Zakrocimenſis.*
23 (*Ciechanovienſis*
23) *Livenſis.*
12 (*Slonſienſis.*
19 (*Lubaczovienſis.*
7) *Konarienſis.*
Siradiæ.
8 (*Konarienſis.*
Lanciciæ.
10 (*Konarienſis.*
Cujaviæ.

Qui Miniſtri Status?

Mareſchalcus Regni Supremus.
Mereſchalcus Magni Ducatûs Lithvaniæ.
Supremus Cancellarius Regni.
Supremus Cancellarius Magni Ducat: Lithv.
Pro-Cancellarius Regni.
Pro-Cancellarius M. D. Lithvaniæ.
Theſaurarius Regni.
Theſaurarius M. D. Lithvaniæ.
Mareſchalcus Curiæ Regni.
Mareſchalcus Curiæ M. D. Lithvaniæ.

Qui Duces exercitium Regni, & M. D. L?

Supremus exercituum Regni Dux.
Supremus Dux exercituum M. D. Lithvaniæ.
Dux Campeſtris exercituum Regni.
Dux Campeſtris M. D Lithvaniæ.

Qui Dignitarii, & Officiales Togæ Regni, & Magni Ducatûs, Lithvaniæ?

Secretarii Spirituales. | Notarius Spirit: Regni.
Referendarii Spiritua: | Referendar: ſeculares.

Suc-

Succamerarii.
Thesaurarii Curiæ.
Vexilliferi.
Ensiferi.
Præfecti stabuli.
Præfecti Culinæ.
Pocillatores.
Incisores.
Dapiferi.
Subdapiferi.
Pincernæ
Venatores,
Notarii 4 Magni Ducatûs Lithvaniæ.

Qui Officiales Belli Regni, & M. D, L?

Notarii Campestres, Præfecti excubiarum. Præfecti Vigiliu'n Generales Artileriæ.

Qui Officiales Curiæ Regni, & M. Lithv.?

Vexilliferi Curiæ Regni & Vice Præfecti stabuli Regni; Venatores Curiæ.

Qui Officiales Fori Curialis, & Cancellariæ Regni, & M D Lithaniæ?

Instigatores, Regentes Cancellariæ: sigilli majoris,& minoris, Notarii decretorum, Vice-Instigatores, Secretarii sigilli Majoris, ac minoris: Præfecti metrices Cancellariæ majoris & minoris. Notarii judiciorum Referendarialium.

Qui Officiales Thesauri Regni, & M. D. L.?

Custos Coronarum. Præfectus Archivorum M. D. L. Notarius Supremus Thesauri Regni, Notarii Thesauri M. D. L. Notarius Proventûs Quartæ Regni, Præfectus Cellarii M D. L. Magnus Procurator Arcis Cracoviensis. Procurator arcis Vilnensis. Præfectus Metrices Thesauri R. Regentes actorum Thesauri utriusq; gentis.

Qui Officiales Belli, subalterni tum Regni. tum Magni Ducatûs Lithvaniæ?

Præfecti campestres excubiarum, Metatores campestres. castrorum Judices militarium judiciorum, Notarii judiciorum militarium, Regentes actorum militarium utriusq; gentis.

CAPUT II.

De hodierna Germania.

§. I.

De præcipuis partibus hodiernæ Germaniæ.

1. *Quibûs Limitibûs circumscribitur hodierna Germania?*

VErsùs Septemtrionem terminatur marî Balthicô, Daniâ, & Oceanô Germanicô, ad Ortum Poloniâ, & Hungariâ: ad Meridiem Italiâ: ad Occasum comitatu Burgundico, Lotharingiâ, & Belgiô.

2. *Quænam sunt quinquè præcipua Germaniæ flumina?*

1. Danubius, etiam dictus Ister. Rhenus. 3. Albis. 4. Visurgis. 5. Viadrus.

3 *Quomodo Germania dividitur?*

In superiorem, & inferiorem. Illa complectitur decem Imperii Circulos, hæc septemdecem Provincias, quæ aliàs Belgium vocantur.

4. *A, quo facta est partitio Germ: indecem Circulos?*

A Maximiliano Primò Imperatore 1512. juxta sequentem ordinem. primus est Austria-

cus.

cus. 2. Burgundicus. 3. Rhenanus inferior. 4. Bavaricus. 5. Saxonicus superior. 6. Franconicus. 7 Svevicus. 8. Rhenanus Superior. 9. Westphalicus 10. Saxonicus inferior. Quinam autem Status cuilibet Circulo annumerentur, in Opusculo quinto Geographico explanabitur.

5. *Quænam sunt præcipua Imperii Membra?*

1. Romanus Imperator est supremum totius Imperii Caput.

2, Novem Electores, quos inter, sunt tres, Ecclesiastici, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, sex seculares, seu laici, nimirum B hemus, Bavarus, Saxo, Brandeburgus, Palatinus ad Rhenum, Hannoveranus.

3 Duo Archi Episcopi, Salisburgensis, & Bisuntinus, qui posterior tamen solô Principis Imperii titulô nunc gaudet.

4 Magnus ordinis Teutonici, & Melitensium Equitum Magister.

5 Viginti duò Episcopi, nempe Bambergensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Eustettensis, Spirensis, Argentinensis, Constantiensis, Augustanus, Hildesheimiensis, Paderbornensis, Frisingensis, Ratisbonensis. Pasiaviensis, Tridentinus, Brixinensis, Basileensis, Leodiensis, Osnabruggensis, Monasteriensis, Curiensis, Lansannensis, Sedunensis,

6. Avitæ Principum Domus, nemre Palatinorum, Saxonum, Marchiæ Brandemburgicæ, Brunswicensium, Mechlemburgicorum, Hasso-

 rum,

rum, Holsatorum, Badensium: Dux Wirtenbergicus, Saxo-Lavenburgicus: Principes Anhaltenses, quorum priores septem in varios iterum ramos dividuntur. Hæ divisiones, cùm facilè & passim inveniri possint, brevitatis ergo hic intermittuntur.

7. Viginti novæ Principum Domus, scilices Arenbergica, Hochenzollerana, Lobkowizia, Salmensis, Dietrichsteinia, Nassaviana, Aversperg?ca, Frisiana Orientalis, Fürstenbergica, Schwartzenbergica, Oettingana, Liechtēsteinia, Croyēsis, Piccolominia, Portiana, Schwartzburgica, Lambergica, Trautsonia, Lœwensteinia &c.

8. Principales Præposituræ, & Abbatiæ, ut sunt Fuldēsis, Campidunensis, Elvacensis: Magister Ordinis Equestris S. JOANNIS, Præpositus Berchtesgadensis, Stabulensis, & Corbejensis: Weissenburgica juncta Episcopatui Spirensi, Prumiana cum Archiepiscopatu Trevirensi. Murbacensis & Luderensis hodie spectant ad Gallos: aliæ aliò, &c.

9. Aliquòt Principes Abbatissæ, nimirum Essensis, Buchaviensis ad Lacum plumarium; Lindaviensis, superior & inferior Parthenon Catholicus Ratisbonæ: Acatholicus Conventus Quedlinburgensis, Heervordensis, Burscheidensis, Gandershemiensis, Abbatia Andlaviana hodie Gallorum est.

10. Duplicis generis partito Prælatorum Sacri Romani Imperii, scilicet in ità dicta sub-

sellia

sellia, hinc in Suevicum, illinc Rhenanum divisa.

11. Vario ex stemmate S. R. I. Comites, puta Wetteravienses, Westphalici, Suevici, & Franconici.

12. Rhenanæ, & Suevicæ S. R. I. liberæ Civitates.

13. Franconica, Svevica' & Rhenana Sacro Romano ImPerio devota Noblitas

6. Ad quot Collegia omnes Imperii Status reducantur?

In tria. Primum est Electorum Coll gium: alterum est Prin ipum: tertium S. R. I. Urbium.

7. Qui status pertinent ad Principum Collegium?

Omnes tàm Ecclesiastici, quàm Laici Principes: Omnes S. R. I. Prælati, Abbatissæ, & Comites, hac tamen ratione, ut omnes Prælati simul sumpti in Imperii Comitiis tantûm duobûs gaudeant votîs ex Rhenano, & Suevico gremio. Comites S. R. I. non habent nisi quatuor vota: omnes Urbes imperiales duo vota. Cæterum Abbatissæ S. R. I. voti causâ accedunt ad S. R. I. Prælatos, nec plura numero suo efficiunt.

§. 2.

De statu Religionis, & Politiæ in hodierdna Germania.

1. Quæ

1. *Quænam hoc tempore ratio Religionis in Germania?*

COluerat tota Germania octingentis annis inviolato tenore Catholicam Fidem, cùm Lutherus ante ducentos & aliquòt annos Religionis integritati vulnus immane inflixit. Certè Germaniam inferiorem propè totam cum parte superioris specioso obtentu reformandæ Religionis à veteri, & vera fide irreparabili damno ad suos errores abduxit. Decreto Pacis Monasteriensis ex fatali necessitate permittendum fuit, ut præter Lutheranam etiam Calvinianæ sectæ exercitium indulgeretur Cæteris sectis publicum exercitium interdictum

2. *Quæ est forma Regiminis in Germania?*

Tria hic notentur, primò universale Regimen totius Imperii in rebus Politicis. 2. Universale Regimen in contentioso justitiæ foro. 3. Singulare genus Regiminis in variis Provinciis, & Dynastiis Germaniæ.

Regimen quidem in politicis causis est penes Cæsarem, tanquam supremum caput, cujus est ordinare, ac demandare, quidquid è re Romani Imperii fore visum fuerit. Nihilo tamen minus conscio, & consentiente Cæsare deducuntur causæ aliquæ ad Imperii Comitia, ut ibi disquirendo excutiantur, ex communi dein sententia ad Cæsarem referenda. Accedente dein hujus consensu res vel effectum consequitur, vel eodem renuente ex legitimis causis citra eventum intercidit. Uni-

Universalis causarum cæterarũ discussio in imperio pertinent primò ad Cameræ Wezlariensis forum, ubi constitutus supremus controversiarum Judex Cæsaris & unà Imperii nomine causas dedicit. Porrò in Cæsareo Imperii concilio Viennæ itidem Nomine Cæsaris jus dicitur. Ad hæc duo sum̃a dicasteria etiã status Imperii possunt suas privatas causas referre.

Particularis modus regendi in diversis Provinciis & toparchiis est secundùm cujusq; Regionis proprias leges, & receptas dudum consuetudines variè constitutus.

3. Quæ vires bellicæ in Germania?

Equidem maxima est Germaniæ potentia, ut vel potentissimis hostibus par esset, imò superior, si quidem conjunctim omnia, & singula Imperii membra cum Capite conspirarent. Id tamen in præsenti Religionis dissidio, & indè enascente dissensione animorum sperari vix jam potest.

4. In quo perfectionis gradu sunt hodie scientiæ, & artes in Germania?

Videtur sanè Germania ità his se excoluisse, ut nulli alteri Regno Europæ facilè cedat, Huic asserto fidem faciunt tot Athenæa, Lycea, Gymnasia, & ex hic copia doctissimorũ hominum, & plurimi excellentissimi artium Magistri.

5. Quid discriminis est veteres inter, & hodiernos Germanos?

Ingens est discrimen, & ex dictis hactenus patet.

pater. Quippe quàm rudes olim, inculti, & barbari fuerunt veteres Germani, tam docti, exculti, & bellè morati successerunt posteri Germani. Id excipio, Germanorum nempè magnanimitatem non desiisse, sed hodiedum perseverare. Atquè huic adscribas, velim, quòd Romani Imperii fasces annis ampliùs non gētis Germani gloriosè sibi vendicârint, & in hodiernum usquè diem fortiter tueantur.

PARS II.

De aliis Europæ Regnis.

Hic agendûm primò erit de Regnis Catholicis, & quidem ordine geographico, initium ducendo à Lusitania, dein etiam de cæteris Europæ Regnis, quibus annumeramûs Moscoviam, & Turciam, ut pote quæ potentiâ, & amplitudine pleraq; regna facile superant.

CAPUT I.

De Regnis Catholicis.

§. I.

De Lusitania.

MEmorabiliores Lusitaniæ periodi sunt. 1. Lusitaniæ status sub priscis Romanis. 2. Sub Vandalis & Gothis. 3. Sub Mauris. 4. Sub Regibus Christianis è stemmate Burgundico. 5. Sub Hispanis. 6. Sub Lusitanis, Brabantiæ Ducibus.

1. Quis

1. Quis antiquæ Lusitaniæ Status?

Hæc an e Christi ortum erat Romana Provincia, *Lusitanica* dicta; in quinto seculo supervenêre primò Vandali, dein Gothi, qui Hispaniam juxtà ac Lusitaniam in potestatem redegerunt. Deniquè annô 713 utramq; Provinciam Mauri ex Africa profecti inundârunt, & potiorem partem suo subjecêre imperio.

2. Quô pactô, & quandò Lusitania peculiare esse Regnum cæpit?

Henricus Burgundiæ Comes, militari gloriâ inclytus heros, inito sub annum 1090. cum Tarasia, vel Theresia, Alphonsi VI Castellæ Regîs filia matrimonii fœdere, in dotem accipit, quæ Alphonsus socer in Lusitania id temporis possidebat. Hic prein Henricus quasdam Maurorum urbes expugnare cœpit; filius verò Alphonsus I. eosdem totâ expulit Lusitaniâ, posteaquàm in pugna decretoria quinquè Maurorum Regibûs fusîs, fugatîsquè, plenam obtinuit victoriam, primus exinde Lusitaniæ Rex salutatus.

3. Quæ Lusitaniæ insignia?

Area scuti argentea quinque coloris cærulei scutula exhibet, quorum singula quinîs punctîs, quinquè Christi plagas referentibûs, sunt distincta. Quippe cùm Alphonsus prælium cum quinquè Saracenorum Regibus initurus, trepidô prorsus esset animô, confirmatus à Christo, ac vexillum quinquè ejusdem vulneribûs insignitum. jussus attollere, gloriosam omnino retulit victoriam.

4. Qua ratione Lusitania, Regnante Joanne II. & Emanuele, ad tantum potentiæ, & magnificentiæ fastigium ascendit?

Joannes navigatione in Indias Orientales sub an: 1490. primò susceptâ, magnîs Lusitaniam opibûs, fortunîsque locupletavit, sed multò majoribûs Emmanuel successor, utpote qui magna Brasiliæ parte in America, nec paucis Asiæ, Africæque regionibûs in ditionem suam redactîs mercaturam, quæ Reipublicæ nervus est, maximopere promovit. Joannes III. ut populos, sub jugum suum missos, Christo quoquè & Ecclesiæ subjiceret, S. Franciscum Xaverium an: 1541. ad Indias mittendum curavit eo successu, ut, Thoma Bozio teste, *universi hæretici ab Ecclesiæ Christianæ constitutione per annos mille quingentos & ampliùs haud traduxerint ad hæreses suas tot gentes, aut idolatras, aut alioquin à Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad cultũ Christi annis undecem* (decem, & mensibus aliquot) *tot enim fuit in Indiis vir iste admirandus.*

5. Quo casu Lusitania Hispaniæ juncta est?

Cùm Rex Sebastianus an: 1578 expeditione adversùs Mauros suscepta, vel in acia, vel in captivitate occubuisset, Cardinalis Henricus propatruus Regni gubernacula capessebat. A cujus obitu Philippus II. Hispaniæ Rex eò rem deduxit, ut à Lusitanis Rex promulgaretur annô 1380.

6. Quàm diu Lusitania Hispanis paruit?

Usquè ad annum 1640. quô Lusitani die

nata-

natali Domini, Hispanis abire jussis, Joannem II. Bragantiæ Ducem ad Regni solium evexerunt. & quidem, quod mireris, citra sangvinis effusionem, si Vasconcellum, præcipuum Margaritæ Proreginæ Hispaniæ consiliarium ea occasione occisum, excipias.

7. *Quam diu decertavit Hispania pro Lusitania recuperanda?*

Viginti omnino annis bellatum est, quoad tādem victoria cum Lusitaniæ Regno cessit Bragantiæ Duci, assentiente demum Hispaniæ quoque Rege.

8. *Quis hodie Lusitaniæ imperat?*

Joannes V. è Domo Bragantina, cujus Conjunx Maria Anna, Imperatoris Leopoldi Filia.

§. 2.

De HISPANIA.

Hic sequentes observa periodos. 1. Hispaniam incoluerant Celtæ Galliæ populi, dein Phœnices, & Carthaginenses. 2. Post hos ante Christum natum Regiones istæ Romanis cesserunt. 3. Vandali, Suevi, Alani, vetustissimi Germaniæ populi, imperāte Honorio Cæsare, Hispaniam occupârunt. 4. Hi ipsi quinto pòst seculo à Gothis pulsi, Regnum exinde Gothicum fundârunt. 5. Seculo VIII. Mauri totam propè Hispaniam inundârunt, annisquè ferme octingentis tenuêre. 6. Indè Hispaniam pactis nuptialibus Austriaci. 7. Ac tandem Philippus V. ex Regia Galliæ Domo Borbonica obtinuit.

1. Qui populi usquè ad Gothorum Regnum Hispaniam tenuêre?

Celtæ, Gens Gallica, primi incoluêre, qui cùm ad flumen Iberum consedissent Celtiberi sunt appellati. Phœnices subin & Carthaginenses eum Hispaniæ tractum occupârunt, qui ad meridiem è regione Africæ positus est. At ubi Carthago à Romanis anno 146. ante Christi ortum eversa est, tota Hispania in eorundem potestatem venit. Tandem collapso Honorii Cæsaris temporibus, Occidentis Imperio, Vandali, Suevi, & Alani Hispaniam subegêre, haud multo post à Gothis indè ejecti.

2 Qua ratione Gothi Hispaniam obtinuêre?

Hi è magna Peninsula Scandinavia, ubi hodie Suecia, & norvegia, ad Danubium profecti, ibique bifariam divisi, alii ad Orientem, ad Occidentem alii secessêre: unde illi *Ost*-sive *Ostrogothi*, hoc est, Orientales; hi verò *West* sive *Visigothi* seu occidentales appellari cœperunt. Hi dein Hispaniam; ii verò longo post tempore Italiam invasêre. Huc perfidiâ, & malis artibus Stiliconis, qui Honorii Cæsaris Tutor erat, pellectus Alaricus Gothorum Rex, anno 410. Romam cepit, & expilavit; cujus Successor Ataulphus, Placidiam duxit, Honorii Cæsaris sororem, oblata in dotem Galliæ parte, ut hoc pacto Italiâ excederet. Ataulphus hic Gothorum primus in Hispania regnâsse creditur, ùt qui jam año 414. ad montes Pyrenæos consederat, quamvis id temporis ad Regni interiora necdum penetrârit. Nec multò

pòst morte sublatus, Sigericum successorem nactus est, qui sex haud ampliùs menses regnavit. Vallia contrà Rex tertius, annos tredecim imperavit, primóque statim Regiminis anno, à Christo nato 416. in Hispaniam movit, ex qua Vandalos, & Alanos penitus ejecit, Svevos autem in Gallæciam usq; recedere coëgit. Hi, proximéque sequentes Gothorum Reges plerique omnes sectæ Arianæ adhæserant, quoad tandē anno 586. Recaredus Rex decimus septimus, S. HERMENEGILDI Martyris frater ejurata Ariana impietate, Religionem Catholicam in universam Hispaniam invexit.

3. Qua occasione Mauri An: 713. in Hispaniam penetrârunt?

Hos tanquam Dei vindicis flagellum sceleribus suis, luxuriâ præcipuè, regnorum omnium peste exitiosissima, accersivêre Vitiza, ejúsque Successor Rodericus, Reges ambo nomine, reapse abjectissima Veneris mancipia, quorum posterior cùm Juliani Comitis, Septæ sive *Ceutæ* tunc præfecti, filiam violâsset, parens gravissimam hanc injuriam ulturus, Saracenos ex Africa in Regis, totiusque Hispaniæ perniciē evocare non dubitavit. Atq; hi nihil cunctati, expugnata Hispali, partaq; ad Methymnam Sidoniam ingenti victoria, rapidissimi torrentis instar, universam propè inundârunt Hispaniam, quæ paucas intrà horas tantam fecit jacturam, ut Hispanorum reliquiæ octonis adeò seculis, quibus Mauri in Hispania dominabantur, eidem sarciendæ vix fuerint. Devicti por

rò Hispani in Legionis, Asturiæ, & Gallæciæ montes se recepêre, ubi anno 717 Pelagium heròém fortissimum Regem proclamârunt.

4. Quæ Hispaniæ facies Mauris tyrannide eam occupantibus?

Hispani in montium latibulis abditi, factâ identidem excursione, Maurisq; velitari pugna sæpius lacessitis, alias, atq; alias urbes cum tractu circumjacente recuperârunt. Indè varia pedetentim orta sunt regna, primò quidem Asturiæ, dein Navarræ, & Castellæ, à pluribus Castellis, contra Maurorū incursiones exstructis, sic appellatæ: Arragoniæ itèm, Legionis & Gallæciæ. Postquā igitur Hispani, elapsis tot seculis, stabilem denuo fixerunt sedem, Mauris Murciâ, Valentiâ, Lusitaniâ, & Cataloniâ pulsis, solum tandem Granatæ regnum reliqvum fuit.

5. Quis Mauros omnes totâ ejecit Hispania?

Id demum post octo annorum bellum anno 1492. effectum dedit Ferdinandus Rex, eam ipsam ob causam *Catholicus* appellatus, qui proin omnia ferè Hispaniæ Regna suā in potestatē, ac ditionem redegit. Is ipse auctor fuit *sacræ Inquisitionis*, quâ Hispania ab omni hæretica & Saracenica, &c. lue intacta in hanc usq; diem cōservata est. Eodem regnante Insulæ Americanæ à Christophoro Columbo sunt detectæ.

6. Qua ratione Hispania Domui Austriacæ obvenit?

Ferdinando Catholico filia unica erat Joanna, quæ Philippo Austriæ Archiduci, Cæsaris Maximiliani I. filio nupta: dotē attulit Hispaniam univer-

universam, duosq; eidem peperit filios, Carolum V. Cæsarē simul & Hispaniarum Regē, ac Ferdinandum I. cui Carolus frater bieñio, quā è vita migravit, Romano Germanicum cessit Imperium, Hispaniæ Regnis in filium Philippum II. translatis. Philippus hic Monarchiam Hispanicam ad summum potentiæ fastigium evexit; quæ tamen regnante Philippo III. ejùsquè filio Philippo IV. inclinare nonnihil cœpit, donec Carolo II. an: 1700 è vivis sublato, stirps Austriaco Hispanica prorsus exaruit.

7. *Quo tandem pacto Borbonica Regum Galliæ Domus Hispaniam obtinuit?*

Cæsar Leopoldus Caroli II. Hispaniæ Regis sororem natu minorem, majorem verò Ludovicus XIV. Franciæ Rex in matrimonio habebat. Unde uterquè Hispaniam jure hæreditario sibi vindicare parabat, Ac Ludovici quidem Conjunx juri huic pridem solemniter riteq; renuntiaverat: sed intercessêre ejus posteri, obnitente exadversum totis viribus, jusq; suum persequentè Domo Austriaca, quoad tandem post quatuordecim annorum bellum, Philippo V. Hispania, Austriæ verò Neapolis, Sicilia, Mediolanum, & Belgium Hispanicum obvenit, quæ dein partitio, fœdere Viennæ Austriæ an: 1725. inito, rata utrinq; est habita.

§. 3.

GALLIA.

HIc paucis memorabimus. 1. Galliæ Statum ante, & post Francorum adventum. 2. Franciæ Reges è triplici stirpe oriundos, nempe

Merovingorum, Carolinorum, & Capetiorum, ad quorum postremam Valesii quoq; & Borbonii Reges originem suam referunt.

1. Quis Galliæ status ante Francorum adventum?

Diversi, uti olim in Germania, hominum cœtus, sive minores respublicæ regionem illā obtinebant, donec à Julio Cæsere in Romanæ Provinciæ formam redacta est.

2. Quando, & quomodo Franci in Gallias transmigrarunt?

Populi intrà mare Germanicum Visurgim, & Salam fluvios siti non diu post Cæsaris Augusti tempora excusso Romanæ dominationis jugo *Francos*, hoc est liberos se nuncupârunt. Hi, Rege Pharamundo ductore, an. 420 superato Rheno, factâq; in Galliam irruptione, firmum tamen pedem figere tum necdum poterant, sed hæc gloria Merovæo debebatur.

3. Quid de Merovingica stirpe Regum Franciæ memorandum?

Merovæus Rex tertius, qui Pharamundo & Clodioni successit, auctor erat stirpis hujus, è qua trecentorum triginta duorum annorum intervallo, duo & viginti Reges Franciæ imperârunt. Monarcha hic an. 448 totius Galliæ possessionem adiit. Hujꝰ Nepos Clodovæus suasu, & impulsu conjugis suæ Clotildis Christiana sacra suscepit post prodigiosam omnino victoriam è Germanis reportatam. Posteriores ex eadem hac prosapia Reges otio, & voluptatibꝰ ità diffluebant, ut omni Reipublicæ curâ abjectâ; universam regiminis molem supremo cui-

dam

dam Præfecto, quem *Majorem Domûs* vocabant, imposuerint. Childericus Merovingiorum Regum ultimus, quòd ad regendum prorsus esset inhabilis, regno exutus, & in monasterium est detrusus, subrogato, & in Regni solium evecto Pipino, qui ad id usquè temporis Franciæ Regnum cum laude administrârat.

4. *Quid summatim memorandum de altero Carolinorum stemmate?*

E stirpe hac, quæ à Carolo Magno Pipini filio nomen trahit, ducentorum quinq; & triginta annorum decursu Reges tredecim nunquã interrupta serie in Gallia regnârũt. Porro quémadmodum Carolus Magnus eximia sua virtute, ac fortitudine supremum honoris & gloriæ fastigium conscendit, quando anno 800. collapsum Occidentis Imperium denuo instauravit, ac præter Galliam, Germaniam insuper atque Italiam in ditione sua tenuit: ità tanta fortunæ & gloriæ incrementa in ejusdem posteris mox iterum imminui cœpêre, cùm quòd Provinciæ hæreditariæ in plures fuerint divisæ, tum quòd posteriores è Carolinorum prosapia Reges nec se, nec suos regere nôrint, ac gubernare. Postquam igitur Carolinorum ultimus Ludovicus V. cognomento NIHIL FECIT sinè hærede obiit, Hugo Capetus, Parisiorum Comes, Franciæ Rex inauguratus est.

5. *Quid de Regibus Capetinæ stirpis commemorandum?*

Ex hac stirpe intrà trecentorum quadraginta annorum periodum Reges quatuordecem ordine

dine continuo sibi succeſsêre." Quo temporis intervallo tria potiſſimùm memoratu digna evenêre. 1. Bellum grave & diuturnum Anglos inter & Gallos, qui juris, suprem & dominii retinentiſſimi, negabant, commiſſuros ſe unquam, ut Gallico in territorio pedem figerêt Angli, quamvis jus iſti aliquod hæreditarium oſtenderent. 2. Expeditiones ſacræ in terrā ſanctam per annos fermè ducentos ſūmo quidem ſtudio, at eventu minùs proſpero ſuſceptæ. 3. Diſſenſiones graviſſimæ inter Bonifaciū VIII. Pontificem, & Philippum IV. Pulchrum, cui, quòd cōmunem Chriſtianitatis patrem indignis modis accepiſſet, quin & captivum abduci juſſiſſet, ab eximiæ ſanctitatis Epiſcopo clades ingentes prænuntiatæ, atq; intentatæ ſunt, in filiorum quoq; caput redundaturæ, quorum tres, qui parenti in regno ſuccėſsêre, multis magniſq; calamitatibus conflictati, ſinè hærede ſūt extincti, regnô Franciæ ad Valeſiorum familiam, Capetinæ ſtirpis ramum translatô.

6. Quid præcipua notatione dignum accidit, tredecim Valeſiæ ſtirpis Regibus Galliæ Imperātibus?

1. Prioribus quinq; multum negotii faceſſebant Angli, qui ad ſumas tandem anguſtias Gallos adduxêre, donec mirabili DEI diſpoſitione, ac providentiâ an: 1429. puella paſtoritia, è Lotharingiæ pago oriunda, Anglorum faſtū obtrivit, & contudit. Hac proin duce & auſpice, fractis Anglorum viribus Gallia reſpiravit. Verùm invicta hæc Heroina anno inſequente capta, vivaq; ab Anglis exuſta eſt, tā-

quam

quam magiæ, hœresis, & luxuriæ rea, quàm dein Callistus III. Pontifex, causâ ejus recognitâ, diligenterq; excussâ innocentem pronuntiavit. 2 Posteri quinq; Reges gravi bello cum Austriacis implicabantur, præcipuè Franciscus I. cum Carolo V Cæsare. At longè atrocius bellum tribus postremis regibus imminebat à Calvinistis seu Hugonotis, qui non modò Anglos, Germanos sectarios, sed ipsum adeò juratum Christiani nominis hostem Solimũ Turcarum Tyrannum in Religionis, Regniq; exitium solicitare sunt ausi, barbarîs ipsis Pseudo-Christianorum istorum perfidiâ execrantibûs, & suppetias negantibus. Fervente porrò hoc bello, & intestinis seditionibus urbes ferme treeentæ in cineres redactæ, templa innumera direpta, & profanata fuêre, nec impunè tamen; nam anno 1572. die 24. Augusti, S Bartholomæo sacra, Regis Caroli IX. jussu, plura millia Hugonotorum tanquam rebellium, regniq; turbatorum cæsa fuisse perhibentur. 4. Henricus III. Poloni Regni possessione haud multò antè adita, ùt primũ de Caroli IX fratris morte certior factus est, in Galliam reversus, Rex proclamatus est, belloq; iterum atq; iterum ab Hugonotis, ac tandem etiam à Catholicis lacessitus dum Parisios circumsidere parat, inopinato violentæ manus ictu percussus, regno, vitaq; exuitur an: 1589. Unde deficiente Valesiorum familia, quæ 260. annis regnaverat, regnum Franciæ ad Domum Borbonicam, alterum Capetinæ stirpis ramum florentissimum est devolutum.

7. Quid de 4. Regibus Borboniis generatim memorandum?

1. Henricus IV. Rex Navarræ, quòd Calvini errores cum nutricis lacte suxiflet, à Galliæ statibus repudiatus, jus suum armis persequi aliquandiu tentaverat; sed irrito conatu. Comperto tandem, nihil obstare præter Religionē, quò minùs Francorum Rex ab omnibus agnosceretur, suos, percontatur, utrúmne in Religione Catholica obtineri posset salus? Affirmātibus illis: *Quidni igitur*, inquit, *viam eligam cōpendiariam, atq; expeditissimam, quâ regni terreni simul, ac cælestis possessionem adire certò possim?* Moxq; è orthodoxæ fidei dogmatis institutus, summo omnium ordinum consensu, & acclamatione est receptus. Religionis exinde orthodoxæ propugnator & vindex strenuissimus, uti & Societatis JESU. Hanc hæretici & malevoli dudum Parisiis, Galliâq; universâ proscriptā volebant, cùm ecce causam ad eam exagitandam arripiunt ex attentato im̄ani scelere, quo Joannes Castellus è Societatis Scholis ad Academiā Parisiensem nuper translatus, Regem cultro in os impacto sauciaverat. Ac licèt Societatem omni prorsus culpa vacare constanter asseverârit percussor; prævalente nihilominus invidia, & calumnia, in exilium migrare jussa est, erecta Parisis infami pyramide; quā tamen Rex ipse, cognita objectorum criminum falsitate, evertendā curavit, ac Societatem, cujus innocentiam contra obtrectatorum calumnias ipse potentissimè defendendam suscepit, in in-

regnum restituit, sumisq; deinceps beneficiis ornavit, donec an. 1610. dum rhedâ per urbẽ Parisiensem vehitur, à amente parricida gemino inflicto vulnere ingentem animam efflavit

2. Ludovicus XIII. rebellibus Hugonotis iterata clade domitis, exardescente 30. annorum bello, & Imperio & Ecclesiæ DEI longè calamitosissimo, fœdus adversùs Domũ Austriacã cum Sueco junxit. Obiit Rex Pius & Justus an: 1643.

3. Ludovicus XIV. bellis gravissimis cum Imperio, Domo Austriaca, Hispania, Anglia, Batavia &c. gestis, regni sui fines plurimùm dilatavit. Calvinianos solemni dicto an: 1685. in curia Parisina vulgato, ex universa Gallia ejecit. Hæresi verò Jansenianæ, pestis instar in ipsa regni viscera grassanti, ad extremum usq; vitæ halitum fortissimè, se opposuit. Obiit Ludovicus rerum gestarum gloriâ & celebritate verè Magnus an: 1715.

4 Ludovicus XV. Antecessoris Pronepos, hodie Gallici Regni habenas feliciter moderatur. Conjunx illius Maria Princeps Regia Poloniæ, Filia Stanislai Leszczynii Regis Poloniæ & M. D. L., Ducis Lotharingiæ & Bari; & Catharinæ Opaliniæ Reginæ Poloniæ.

APPENDIX.

De Lotharingiæ Ducatu.

1. *Unde nomen illi inditum?*

PArs olim erat regni Lotharici, cujus nomen hodieq; retinet. Protendebatur illud à Mari Mediterraneo per Provinciam, Delphinatum, Sabaudiam, Helvetiam, Alsatiam, Burgundiam,

Lotharingiam, Palatinatum, Agrum Trevirensem & Coloniensem, Juliã, Cliviã Belgii Provincias universâs ad mare usq; Germanicum.

2. *Quæ hôdiernorum Lotharingiæ Ducum origo?*

Hanc isti ex idoneorum Auctorum testimonio communem habent cum Habspurgico-Austriacis, ab Archambaldo, Dagoberti Franciæ Regis Agnato oriundis. Ex hujus quippe Archambaldi stirpe bifariàm divisa, hinc Domus Habspurgica in Alsatia, illinc Domus hodierna Lotharingica originem duxit.

3. *Quales, quantiq; Heròës hanc Domum illustrârunt?*

Nulla ex Europæ principum Familiis tot tamquè eximios belli Duces numerat, atquè Lotharingica, utì tot sacrarum expeditionum, rerumq; gestarum monumenta loculenter demonstrant.

Horum exempla æmulatus Carolus Leopoldus, supremus superiore seculo Cæsarei exercitus Dux, Turcas ingentibus cladibus attritos debellavit. Vienna summo consilio, ac armìs Joannis III Poloniæ Regis liberata, Barcanensis, Strigoniensis, Mochazensis victoriæ ad posterorum memoriam insignes, Buda, aliæquè quàm plurimœ urbes expugnatæ, Transylvania, Hungariaquè tota Cæsari asserta, Moguntia, ac Bona Gallis erepta, &c. tanti Ducis nomen famamq; immortalitati consecrarunt.

Leopoldus Josephus Lotharingiam, quàm Parens pactis Nèómagensibus sibi restituendam, ob conditiones minùs æquas recipere detrectavit, tandem per pacta Risvicensia anno 1697. recuperavit.

Duca-

Ducatum hunc obtinuit Anno 1737. Stanislaus Leszczyński Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ. Duci Lotharingo, Magnus Ducatus Hetruriæ cessit. Firmatum id cum pluribus aliis punctis per tractatum solennem publicatum Parisiis 1. Junii 1739.

§ 4.

De ITALIA.

AGendum hìc 1. de Italia universim. 2. De superiore, sive Boreali ejusdem parte, seu Longobardia. 3. De Italiæ Meditullio; 4. De ejusdem parte inferiore, seu Australi.

1, Quæ memorabiliores Italiæ periodi?

1. Italia universa dudum ante Christi ortum sub Romanorum potestate fuit, ejectis non uno ex loco prioribus inquilinis. Occidentis exinde imperio, imperante Honorio, ad occasum vergente, Italiæ se primò infuderunt Gothi, Romamq; ipsam expugnarunt an. 410. an: dein 467. supervenêre Vandali Genserico Duce, ubi Roma iterum capta & quatuordecim diebus ipsis direpta fuit. Barbaros hosce in Italiam evocavit Eudoxia, Imperatoris Valentiniani III. vidua, hac ratione necem à Maximo tyranno, Valentiniano illatam, ultura. Odoacer porrò Herulorum Rex occupatâ an: 476. Italiâ, regios titulos sumpsit, indè an: 493. initiũ datum regno Ostro-Gothico à Theodorico. Gothis porrò à Belisario, Cæsaris Justiniani Polemarcho debellatis, Regnum Longobardorum ab Alboino an: 568. fundari cœpit, postquam nempe Narses, Justini Cæsaris in Italia

Præ-

Præ [illegible] us, illatam à Cæsaris Conjuge injuriam vindicaturus, Longobardos è Pannonia in Italiam evocavit. Posteriores Longobardiæ Reges multum negotii facessebant Pontificibus Romanis, qui proinde à Pipino Galliæ Rege, indeq; à Carolo Magno Pipini filio, suppetias postulârunt, quas ambo actutum misêre. Et Carolus quidem Magnus an: 774 Longobardicum Regnum ad extrema deduxit, ultimo Rege Desiderio binis præliis devicto, & in exilium misso. Ex eo tempore Italiæ Regnum ipsum obtinuit, retinuitq; usq; ad magnum Interregnum, quando ob Imperatorum & absentiam & distantiam varii Principatus sunt exorti, qui pleriq; omnes hodieq; vigent.

2. *Quid de superiore Italiæ parte sive Longobardia memorandum?*

R. Præmissa ejusdem divisione, perbrevis cujusq; partis descriptio speciatim subjungitur. Longobardia sequentes complectitur Ducatus. 1. Montisferrati. 2. Pedemontii. 3. Mediolani. 4, Mutinæ. 5 Parmæ. De duabus rebuspublicis Veneta, & Genuensi, huc pertinentibus, suo loco dicemus.

MONSFERRATUS, PEDEMONTIUM, SABAUDIA.

Tres hi Ducatus Duci Sabaudiæ parent, Beroldus Sabaudiæ Comes è Caroli Magni stemmate magna olim nominis celebritate inclaruit anno 1000. Odo IV. pactis conjugalibus Pedemontii Ducatum an: 1060. obtinuit. Amadeus VIII, à Cæsare Sigismundo an: 1416

primus

primus creatus est Dux. Postea tamen abdicato sua Sponte regimine Carthusiam Ripaliensem subiit, vitam deinceps solitariam acturus. Fervente ultimo bello Hispanico Sabaudiæ Dux Victor Amadeus II. Montisferrati Ducatum, indeq; per pacta Ultrajectina Siciliæ Regnum, hocq; Austriacis an: 1718. relicto, Sardiniæ Regnum, indeptus est. Huic successit Filius ejus Carolus Emmanuel Anno 1730.

DUCATUS MEDIOLANENSIS.

Hanc veteris Longobardiæ partem post collapsum Occidentis Imperium cum maxima Italiæ parte Ostro-Gothi ac Longobardi sua in potestate ac ditione tenuerant, donec Caroli Magni armis Desiderio erepta, ad Rudolphi Habspurgici usq; tempora Romano Germanicis Imperatoribus subjecta permansit. Ex eo tempore Ducatus hic ad diversos est Dominos translatus. Primi erant è Familia Vice-Comitum, secundi è Domo Sfortia. Indè Galli aliquamdiu occupârunt: post hos verò per Carolum V. ad Hispanos, ac tandem per Carolum VI. ad Domum Austriacam anno 1706. est translatus.

DUCATUS MANTUANUS.

Ab anno 1628. Marchiones ex Domo Gonzagana Ducatum hunc possedêre; Ducum tamen titulo primùm à Carolo V. Insigniti fuêre. In postremo bello Hispanico Dux Carolus IV. quòd à Gallia contra Cæsarem staret, omni ditione sua exutus est, cujus proin possessionem Cæsar adiît.

MU-

MUTINA, & MIRANDULA.

Ducatus hic, uti & Ferrarienſis poſt magnū illud Interregnum Domui Eſtenſi obtigit, Mutinenſis quidem Cæſareæ, Ferrarienſis verò Pontificiæ clientelæ nomine. Poſteriorem hũc, ſtirpe Eſtenſi extincta, Eccleſia repetiit; alterum verò Ducatum Cæſar prioris Ducis agnato tradidit. Reinaldus, hodiernus Mutinæ Dux in bello Hiſpanico ab Auſtriacis ſtetit; unde aliquamdiu Ducatu ſuo orbatus eſt, quamd u nempe Gallia armis prævaluit. Sed paulò poſt in integrum eſt reſtitutus.

Principes Mirandulæ originem trahunt ex pervetuſta Picorum Familia. Joannes Picus dictus eſt ingeniorum Phœnix ſui ſeculi. Alexander primus Mirandulæ & Concordiæ Dux à Ferdinando II. Cæſare creatus eſt. Hodie Principatum hunc Dux Mutinenſis emptionis titulô poſſidet.

DUCATUS PARMENSIS.

Paulus III. Romanus Pontifex Ducatum hũc Farneſiorum Domui clientelari jure tradidit an: 1545. Antonius hodiernus Dux Fratris ſui Odoardi Filiam Philippo V. Regi Hiſpaniæ in matrimonium collocavit. Quapropter horum Filius Carolus Hæres & Succeſſor deſtinatus erat, ſi fortè Dux Parmenſis ſinè liberis decederet, qui poſtea Regnum utriuſq; Siciliæ obtinuit.

3. *Quæ Regiones in Italiæ Meditullio ſitæ ſunt?*

1. Provinciæ ſummo Pontifici ſubjectæ.
2. Magnus Hetruriæ Ducatus.

TERRI-

℟ Hoc nomine veniunt Provinciæ Romano Pontifici subjectæ, nempe 1. Campania Romana. 2. Patrimonium S. PETRI, sive totus ille terræ tractus, à Mathilde Hetruriæ Comite, matrona lectissima, Ecclesiæ an: 1115. donatus. 3 Provinciæ illæ, quas Pipinus Galliæ Rex, ejusq; Filius Carolus Magnus Ecclesiæ transcripsit. Ad S. PETRI Patrimonium præter alia pertinet Viterbium, Centumcellæ, urbs, & portus nobilissimus, Mons Flasconis, vinô Apianô celebris. Pipinus Ecclesiæ dedit, vel potiùs restituit Exarchatum, urbes, Ravennam, Bononiam, Ferrariam aliasq; plures complectentem. Carolus Magnus donationem hanc non solùm ratam habuit, sed plurium etiam Regionum accessione auxit. Principatum Beneventanum S HENRICUS adjecit. Commitatum verò AvenionensemClemens VI emptione acquisivit: qua de re pluribûs agetur in Historia Ecclesiastica.

MAGNUS HETRURIÆ DUCATUS.

Urbs Florentia à Cæsare Rudolpho Habspurgico libertatem præsente pecunia sibi comparavit, indeq; ad annum usq; 1569. libera respublica permansit. Interea temporis Medicorum Domus, è vetustissimo Florentinorum stemmate oriunda, ad eum sensim potentiæ & dignitatis gradum evecta est, ut Alexander primus Dux, postquè hunc Cosmus I Magnus Hetruriæ Dux à S. PIO V. Pontifice, & Maximiliano II. Cæsare fuerit renuntiatus. Joannes

nes Gasto Magnus Hetruriæ Dux, hærede destitutus obiit. Hodie Magnus Dux Hetruriæ Franciscus Stephanus ex Familia Lotharingica; cujus conjux Maria Teresia Regina Hungariæ ex Familia Austriaca.

4. *Quid de inferiore, seu Australi Italiæ parte dicendum?*

Hæc Regna Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ & Insulam Melitam complectitur.

REGNUM NEAPOLIS.

1. Postquam Carolus Magnus confectô bellô Longobardicô, Regni Italici possessionem adiit, regni nihilominus Neapolitani partem Imperatores Græci etiam tunc obtinebant. Sed cùm hanc segniùs curarent, à Saracenis omnino fuére expulsi. Sub annum porrò millesimum Normanni quidam, viri egregii, è Palæstina reduces, Saracenos adorti, Neapoli ejecêre. Itaquè regione illa potiti, Duces, primū, dein & Reges appellari cœperunt. 2. A Normannis his Ducibus Regibusquè Regnum Neapolitanum per pacta nuptialia ad Imperatores Suevos, ac primô quidem ad Henricū VI. est translatum. Cùmquè ejus filius Fridericus II. Cæsar, Ecclesiæ divexandæ finem non faceret, & priùs, quàm anathematis vinculô solveretur, mortem obiisset, nec meliora de Conrado IV. ejus filio sperari posse viderentur, Papa Regnum hoc, Ecclesiæ Romanæ clientelare, Carolo Andegavensi S. LUDOVICI Galliarum Regis fratri possidendum tradidit. Hujus jussu Conradinus, Conradi IV. filius, ulti-

ultimus Sueviæ Dux, Neapoli publico in foro capite plexus est, quòd Regnum illud armata vi sibi vindicare attentâsset. 3. Inde Regnum Neapolitanum an: 1424. Alphonso IV. Arragonio obvenit, postquam Joanna II. Regina Andegavensis familiæ ultima eundem hæredem scripsit. 4. an: 1503 Neapolis per Ferdinandum Catholicum Hispaniæ adjuncta, tamdiu Regibus illis paruit, donec an: 1707. Domui Austriacæ asserta fuit. Nunc subest Carolo I. Infanti Hispaniæ è Domo Borbonica.

SICILIÆ REGNUM.

Sicilia eadem feré cum Neapoli fata subiit, Normannîs Regnum utrumquè (utramquè Siciliam appellabant) perdiu simul possidentibûs Post Vesperas Siculas an: 1282. Domus Andegavensis in Regni quidem Neapolitani possessione perstiterat; Sicilia tamen ad Petrum III. Arragonium translata est, qui Constantiam Manfredi (Friderici II. Imperatoris nothus, & Conradi IV. frater hic erat) filiam in matrimonio habebat an: 1503. Ferdinandus Catholicus Regnum Siculum Hispanico adjunxit, suoq; exinde Nepoti Carolo V. reliquit. Tandem in Pacificatione Ultrajectina Sicilia anno 1713. Sabaudo, indequè 1718. Austriæ obvenit, quam pariter idem Carolus I. Hispaniæ Infans regit. Conjunx illius Maria Amelia Filia Regis Poloniæ Ducis Saxoniæ.

REGNUM SARDINIÆ.

Sardyniam, durante Interregno, Pisani o

tinebant, donec anno 1324. ab Alphonso III. Arragoniæ Rege indè ejecti fuêre. Ex eo tempore Insula hæc semper in Hispanorum potestate, ac ditione fuerat, quoad nupero in bello Austriacis cessit. Hæc anno 1717. ab Hispanis recupetata, anno dein sequente 1718. Sabaudo Siciliæ loco permissa est.

MELITA.

Insula hæc Equitum Melitensium, qui & *Equites S. Joannis* dicti, hodie sedes est. Ordinem hunc anno. 1050. Itàli quidam Mercatores eum in finem instituêre, ut ad sacra Palestinæ loca peregrinantibus, ægrotis præsertim, auxilio, & adjumento essent; unde & *Hospitalaris* vocantur. Hierosolymâ porrò & postea etiam Acconiâ sive Ptolemayde à Saladino Saracenorum Tyranno expugnatâ, Equites hi in Insula Cypro anno 1290. consedêre. Aliquot pòst annis, nempe an: 1309. Insulam Rhodum Turcis memorabili stratagemate eripuêre, ubi usquè eò substitêre, dum à Solimāno II. anno 1522. exturbati fuêre. Tandem an. 1530. Carolus V. Insulam iisdem inhabitandam concessit, quàm anno 1565. Mustapha Turcarum Imperator irrito conatu obsederat. Insula hæc firmissimum est Italiæ propugnaculum; nec parùm inde subsidii & emolumenti redundat in Rempublicam Christianam universam

§. 2.

HUNGARIÆ REGNUM.

1. Quis Hungariæ status priscis temporibûs fuit?

PAnnonii primi incoluêre Hungariam, quæ exinde

exinde Romanis cessit. Succetsêre postmodum Gothi, Hunni, & Longobardi. Tandem seculô nonô Hungari, ex Scythia profecti, ibi consedêre, qui crebrîs postea excursionibûs in Germaniam factîs, damna ingentia intulêre, donec à Cæsare Henrico Aucupe, atq; Othone M. acceptîs cladibûs longe maximîs, domū remissi, de reditu haud amplius cogitârint.

2. Quæ Hungariæ facies temporibûs proximè consequentibûs?

S. STEPHANUS Hungariæ Rex anno millesimo Christiana sacra in regnum hoc primus invexit, cujus stirps per Ladislai III inter Reges illos vigesimi mortem, extincta est, Regnô exinde ad Domum Andegavensem per pacta nuptialia translatô. Ubi hæc quoquè stirps exaruerat, Cæsari Sigismundo Maria Conjunx, Ludovici Filia, Hungariam dotem attulit. Eôdem pactô Albertus II. Austriacus initô cum Cæsaris Sigismundi Filia, Hungariæ hærede, connubiô, dotale Regnum accepit. Ladislao, Alberti Filio successit Mathias Corvinus, cujus parens Joannes Hunniades, Ladislao etiam tum impubere, regnum summa cum laude administravit. Matthiâ sinè liberis defunctô, Hungari Ladislaum VI. Casimiri Poloniæ Regis filium, Regem cooptârunt. Hujus Successor *Ludovicus* II. sinè cute natus, anno ætatis quintodecimo bene barbatus, duodevicesimo verò canîs jam obsitus fuisse perhibeatur. Hic bellô adversùs Turcas susceptô ad urbem Mohazium anno 1525. occubuit,

Anna Sorore Hungariæ hærede superstite relicta

3. *Quæ postremis demum temporibus Hungariæ fuit conditio?*

Ferdinandus I Caroli V. frater, Annam illam, Hungariæ & Bohemiæ hæredem, duxerat, quo ex tempore utrumquè hoc Regnum Austriaci constanter tenuêre; accessit subinde Transsylvaniæ Principatus, imperante Leopoldo, posteaquam ad id usquè temporis proprii ibidem Principes rerum potiti fuerant. Quæ, quantaquè bella Domus Austriaca ob Hungariam cum Turcis gesserit Opusculo VI. referetur.

CAPUT II.

De cæteris Europæ Regnis à Religione Catholica vel Christiana alienis.

§. I.

De ANGLIA.

HIc cursim breviterquè attingendus. 1. Angliæ Status ante Regem Egbertum, qui anno 800. toti Angliæ præesse cœpit. 2: Egbertus, ejusquè posteri. 3. Reges Normanni tres, tredecimquè è Comitum Andegavensium prosapia. 4 Reges è Rechemondiæ Comitum familia 5 Reges Stuartii. 6 Hannoverani.

1. Quid in Anglia memoriâ dignum accidit ante fundatum Regnum?

Julii Cæsaris temporibûs, magnam hanc Insulam occupaverant Romani, quorum subinde copiîs aliò avocatîs, regio illa crebrîs Pictorum, Scotorumquè irruptionibûs Seculo V. tantopere infestata est, ut incolæ ab Anglis, Saxonum Gente, suppetias petere sint coacti. Atque illi hostes propulsârunt quidem; sed terræ illius, quam sibi vindicârunt, possessione depelli haud amplius potuêre, regnis septē temporis progressu ibidē fundatis, quæ omnia unus tandem Egbertus conjunctim obtinuit, sequè Angliæ exinde Regem nuncupavit anno 800.

2. *Quæ Regni hujus fata ac vicissitudines usquè ad Henrici VIII. tempora?*

1. Primorum Anglo Saxonum Regnum series interrupta est sub annum 1017. usquè ad annum 1042. quô tempore intermedio Canutus M. Daniæ Rex, Haraldus filius ejusq; frater Canutus II. Angliæ imperarunt, 2. Indè in avitum regnū sufficitur S. EDVARDUS cognomen *Confessor*, Anglo-Saxonum Regum ultimus, qui cùm virginitatem matrimonio junxisset, hæredem sibi elegit Guilielmum Normanniæ Ducem, à quo in diuturno suo exilio benignè largiterq; est habitus. 3. Anno 1154. Angliæ Regnum jure materno devolutum est ad Henricum II. Comitem Andegavensem, qui Hiberniam Angliæ adjunxit. 4. Anno 1485. idem Regnum quà pactîs nuptialibûs, quà regii sanguinis prærogativâ translatum est ad Richemondiæ Comites, quos inter primus Angliæ solium conscendit Henricus VII. cui successit Henricus VIII. filius.

3. *Quæ rerum in Anglia conversio regnante Henrico VIII. ejusquè filia Elisabetha?*

Henricus VIII. priusquam insano mulierum amore fascinari cœpit, DEI Ecclesiam, Christiquè Vicarium non gladiô tantùm, sed & calamô, quô impia Lutheri dogmata doctissimè confutabat, invictâ constantiâ propugnavit, gloriosô propterea *Defensori Fidei* titulô à Leone X. decoratus. At enim, cùm repudiata prima Conjuge Catharina Hispana, Caroli V. matertera, animum induxisset, Annam Bolenam thori consortem accipere, impio conatui Pontifex pro viribus se opposuit. Atquè hæc semina erant horrendi illius schismatis, quo Rex cœco libidinis, & furoris impetu abreptus, Ecclesiæ Anglicanæ supremum caput se appellare, & proclamare est ausus. Anna porrò Bolena, criminibûs manifestis ac enormibûs convicta, Regis jussu capite damnata est. Rex ipse post tot expilata templa, tot direpta Monasteria, vim auri argentiq; immensam Regio fisco addictam, tandem æternitatis iter jamjam ingressurus, palàm confessus est, se *omnia perdidisse*. Successit Eduardus filius, & huic Maria, Eduardi Soror, sed utrinquē haud diuturnum regimen fuit. Maria magno nec inutili conatu operæq; pretio Religionem avitam restituere moliebatur. Indè Elisabetha, Henrici ex Bolena filia notha, Regnum dicam, an Tyrannidem, annis ampliùs quadraginta occupavit, nec in Catholicos modò, sed in ipsum adeò cognatum sanguinem, Mariam Stuartam, Sco-

tiæ

tiæ Reginam innocentiſſimam, atrociter debacchata eſt, quam ærumnoſa duodeviginti annorum captivitate acerbè tortam, crudelitate inaudita capite mulctari juſſit.

4. *Quid præcipuâ notatione dignum accidit regnante Domo Stuartia?*

1. Regia hæc Domus ab anno 1370. Imperabat Scotiæ, donec poſt Eliſabethæ mortē Jacobus Mariæ Stuartæ filius, Angliæ ſimul & Scotiæ Regno, quòd utrumq; ex eo tempore *Magnam Britanniam* appellant, præeſse cœpit. 2. Jacobo Stuarto ſucceſſit Carolus II. filius, quo regnante, Hæreſis, ejuſq; germana ſoror Perfidia tragœdias excitârunt longè funeſtiſſimas Chorago Cronwelo, adjutore Fairfaxio. Præluſum eſt vexatione & inſectatione Catholicorum acerbiſſima. Hiberniæ Prorex, & Archiepiſcopus Cantuarienſis dati in vincula, morteq; iniquiſſima tandem ſublati, quòd in fide Regi ſuo promiſſa, jurataquè perſtarent immobiles, ſimulquè Religioni Catholicæ favere viderentur. Habita & quæſtio de Regina ipſa, Ludovici XIII. Galliæ Regis ſorore; quæ tamen tempori in tutiora ſe recepit. Rex à Scotis ingenti pecuniæ ſumma venditur, rebellibus Anglis, à quibus facinore ad eam uſque diem inaudito, capite damnatur, ac Londinenſi in foro publicè obtruncatur. Indè ſublatâ Monarchiâ, Anarchia inducitur, quatuorquè pòſt annis impius Regis parricida Cronwelus Angliæ *Protector* (veriùs oppreſſor everſorquè) proclamatur. 3. Anno 1660. Carolus

II. Regis obtruncati filius, revocatus in Angliam, avitum thronum conscendit, obiitque Cathoicus anno 1685. 4. Eadem die Jacobus II. Caroli II. frater ab universis regni Proceribus Rex salutatur, cui dein omnes Britanniæ ordines sacramentum dixêre, tametsi is se Catholicum & Romanis sacris addictum palàm profiteretur. Verùm hoc ipsum aviтæ Religionis studium perniciem attulit Regiæ familiæ, fomesquè fuit novæ factionis. Cui ut pallium obtenderet conjuratorum cohors, in vulgus sparsum est, Jacobum Walliæ Principem, recèns natum, suppositium esse, nec aliud dolô hôc pessimô intendi, quàm, ut stabilita succeſſione hæredis Catholici, religio & libertas Anglicana penitus opprimatur. 5 Igitur Jacobô II. exulare compulsô, an. 1688. Wilhelmus Arausicanus, Britanniæ Regnum occupavit, donec anno 1702. cùm feras in equeretur, ex equo delapsus, accedente febre extinctus est. 6. Jacobus porrò III. filius Jacobi II. qui, gloriosus pro Christi fide exul, in Gallia an: 1701. decedens, cum nobiliſſimo heroicarum virtutum comitatu regnū cœleste adiit, jure successionis hæreditario exclusus est, quòd Religioni adhæret Catholicæ, quàm Britannia jam indè ab anno 182. S. LUCIO *Rege* præeunte, cœpit amplecti, atque ab anno 596. per tot secula non solùm sanctè constanterq; coluit, verùm exteras quoq; gentes, tot Apostolis veræq; fidei Præconibûs quaqua versum missîs, instituendas curavit, Magistra gentium

haud

haud immeritò appellanda. 7. Annæ Jacobi II. filiæ, & Jacobi III. sorori, quæ Arausicano successit, ann 1714. vitâ functæ, surrogatus est Georgius I. Elector Haunoveranus, Lutheri dogmatis imbutus, huic verò, an: 1727. inopinata morte sublato, Georgius II.

§. 2.

De PRUSSIA sive BORUSSIA.

1. Qua ratione Ordinis Teutonici Equites Prussiæ Ducatu sunt potiti?

POsteaquam hi bellô per plures annos continuatô Prussos ethnicos, vicinæ Poloniæ admodum infestos, subegerunt, regionem illã totam Ordini suo vindicârunt anno 1283. Pari modo Livoniam, belli jure acquisitam, diu sua in ditione ac potestate tenuêre.

2. Qua occasione Ordo Teutonicus Prussiæ possessione iterum dejectus est?

Lutheri temporibûs supremus Ordinis Teutonici Magister Albertus Brandenburgicus ejurata Religione Catholica, anno 1525. cum Polonis depaciscitur, ut ea Borussiæ pars, quæ Ordini etiam tum parebat, in Ducatum profanum commutetur, sibiquè ac posteris jure fiduciario tradatur. Atquè ità Provincia hæc Ordini Teutonico ablata est, quam dein; deficiente anno 1618. Alberti stemmate, Elector Brandenburgicus jure hæreditario sibi vindicavit, utì suprà innuimus.

3. Qua occasione Livonia eidem Ordini Teutonico surrepta est?

Rußis anno 1561. regionem hanc incursantibûs,

tibûs, Gotthardus Lettlerus, qui & ipse ab Ordine Religionequè orthodoxa desciverat, imploratîs Polonorum suppetiis, Livoniam ea conditione iis cessit; ùt Curlandiam. Ordinis pariter Teutonici Provinciam, in Ducatum exinde profanum mutatam, jure clientelari sibi possidendam traderent. Livoniam porrò Sveci post plura cum Russis & Polonis conserta prælia demum obtinuêre; quam tamen anno 1709. Russis cedere sunt coacti.

§. 3.

De DANIA.

1. Quis primus Daniæ Rex fuit?

HEraldus sive Heroldus I. anno 930. qui ethnicæ superstitioni nunciô remissô, Christiana sacra invexit.

2. Qui Daniæ Reges præcipuâ memoriâ digni?

1. Canutus II. tribus suis filiis tria regna reliquit, Angliam nempe. armis bellique jure acquisitam, Norwegiam, & Daniam. Primum brevi iterum ereptum fuit; posteriora duo hodieq; perdurant. 2. S. CANUTUS IV. Martyr, à suismet civibus in templo est interemptus anno 1084 3. Regina Margarita Nowergiæ Regnum jure hæreditario à filio suo accepit, simulq; Sveciæ imperavit, ubi sub annum 1380. lata lege sanxit, nè tria hæc regna nunquam sejungerentur; at Sveci decreto hoc stare subinde recusârunt. 4. Christianus I. è Comitum Oldenburgicorum Domo hodie regnāte, primus regnum capessivit anno 1448. 5. Christianus III. anno 1534. Lutheri sectam

coepit

cœpit introducere. 6 Fridericus IV. hodiernus Daniæ & Norvegiæ Rex est utrumque hoc Regnum ab anno 1660. hæreditarium est, cùm liberæ antea electionis fuisset.

§. 4.
De SVECIE.

1. *Quis primus Sveciæ Rex erat?*

S. ERICUS X anno 1150. primus Sveciæ Imperâsse creditur, quòd ab ipso succedentiū Christianorum Sveciæ Regum ordo ac series exordium ducat; nam de prioribus nil fermè constat, nisì quòd Biarnus Rex anno 812. à Carolo Magno Sacerdotes Catholicos petierit, à quibus populus veræ fidei dogmatîs instrueretur.

2. *Qui memorabiliores Sveciæ Reges?*

1. Post Margaritam Reginam, de qua suprà meminimus Reges sex & Daniæ simul & Sveciæ imperârunt. Horum ultimus Christianus II. ob tyrannidem suam è Svecia profugere, altérique coronam cedere cogebatur. 2. Secuti sunt Reges è nobili Svecorum familia, cui Wasa nomen, quorum primus Gustavus I. Lutheri errores anno 1523. in Sveciam invexit. 3. Sigismundus, Poloniæ pariter ac Sueciæ Rex, alterum hoc regnum anno 1599. Carolo patruo cedere coactus est, quòd Religionem Catholicam revocare animum induxisset. 4. Gustavus Adolphus fulminis instar totam ferme Germaniam pervadens terrorem pariter ac stragem ingentem intulit, donec an: 1633. ad Lucenam Saxoniæ oppidum in acie cecidit. 5. Christiana ejus filia regniquè hæres, fidem Catho-

Catholicam amplexa, coronam cessit Carolo Gustavo Comiti Palatino Bipontino, agnato suo. Indè Romam profesta, reliquîs vitæ annis in DEI, cui servire regnare est servitio animiq; cultu translactîs, ad regnum immortale translata est an. 1689. 6. Carolus XII. cum Russis, Polonis & Danis gravia gessit bella, dum tandem ad Friderici-Halam, Norwegiæ urbē, plumbea glande trajectus occubuit anno 1718. 7. Hujus soror Ulrica Eleonora, ac dein ejusdem Maritus Fridericus I. Hasso Cassellanus Sveciæ Rex salutatus est ea conditione, ut in posterum Sveciæ Regnum electioni liberæ permitteretur. Quapropter in successorem vivente adhuc Rege electus an: 1743. Adolphus Fridericus Princeps Olstinensis.

§. 5.

De MOSCOVIA.

1. *Qui inter Moscoviæ Duces primus Christo nomen dedit?*

WOlodomirus I. qui, suscepta Christi fide, etiam Basilius est vocatus.

2. *Qui Russiæ Monarchæ præ cæteris sunt commemorandi?*

1. Daniel XVIII. Dux sub annum 1250 magni Ducis titulum primus assumpsit, sedemquè fixit in urbe Moscovia. 2. Vladislaus, Sigismundi Poloniæ Regis filius, in magnum Ducem electus, post anni decursum cum Polonis suis abscedere coactus est. Quo in abitu templa, ædesquè plurimæ à Polonis direptæ, ingente Russorum edita strage. 3. Petrus. qui

anno

anno 1725. è vita migravit, rerum gestarum famâ orbem implevit. Hic peragratâ Galliâ, Germaniâ, Bataviâ, Poloniâ, Daniâ, & omne genus artifices secum in Moscoviam perduxit. Svecis eripuit totam Livoniam, Finnoniam, & Ingriam. In Livonia condidit urbem Petroburgum, sive Petri Castrum, ubi & regiam sedem posuit. Moriturus imperii habenas tradit Catharinæ Conjugi suæ, anno 1727 è vivis ereptæ. 4. Petrus II. Petri I. nepos Russiæ præerat ab anno 1727. ad annum 1730. Post quem assumpta ad Regimen Moscoviæ Anna Filia Joannis Majoris Natu Fratris Petri I. Hæc mortua 1740. designato successore Joanne ante duos Menses tunc nato, ex Principibus Brunsvicensibus affinibus sibi, quô, in Anno 1741. rejectô, successit Elisabeth Petrovna Filia Petri I., successoremq; sibi adlegit Carolum Petrum Principem Olstinensem ex germana Sorore sua progenitum.

§. 6.

De TURCIA EUROPÆA,

1. *Quæ Turcarum origo?*

VUlgatior Scriptorum opinio est, Turcarum gentem sub annum 1030. ex Scythia adventâsse. Subacta brevi pòst Persia, & Chaldæorum regione magnam Asiæ partem in suam redegêre ditionem. Ex frequentiore dein cum Arabibus, sive Saracenis, primis Machometæ asseclis commercio, & consvetudine ipsi quoq; ejusdem Pseudoprophetæ superstitionibus adhæsêre. Ottomanus primus Turcarum Imperator fuit anno 1300.

2. *Quan-*

2. Quandonam Turcæ stabilem in Europa sedem fixêre?

Amurathes I. sub annum 1360. Adrianopolim Romaniæ urbem occupavit, ubi primam Turcii Imperii sedem intrà Europam posuit. Machometes II. anno 1453. Constantinopolim armata manu cepit, Grecoquè Imperio finem imposuit. Palæologus, Græcorum Imperatorum ultimus, dum trepidus fugam capéssit, stipantis populi compressione eliso spiritu interiît, urbs verò tres ipso dies militum direptioni permissa, regia deinceps Turcici Imperii sedes esse cœpit.

3. Qua verò ratione Turcæ Imperii sui fines tantopere dilatârunt?

Violentia multarum Provinciarum, Regnorumq; occupatione, quæ inter, præcipuè eminet 1. Romania, olim Thracia dicta, ubi Constantinopolis totius Imperii Turcici caput. 2. Græcia universa, ubi Macedonia, Albania, Thessalia, Epirus, Ætolia, Achaja, Peloponnesus, Candia cum reliquis Archipelagi Insulis.

Observationes ad secundam partem.

1. Quid de tot rerum, regnorumquè præcipuè, ac Principatuum mutationibus, & inclinationibus sentiendum?

Perpetuæ hæ vicissitudines apertè demonstrant, quàm labili péde humana omnia nitantur, dum, quæ stare modò videntur firmissimè, repentè corruunt. Interim solum Christi regnum,

gnum, Ecclesia inquam Catholica, tot licèt Orci, ejusquè fœderatorum assultibûs continuò oppugnata, stetit semper, stabitque immobilis, nullis inferorum machinîs unquam evertenda.

2. *Nihilnè ergo Regnum, seu Ecclesia Christi tot Regnorum defectione imminuta est?*

Nentiquam; quin potiùs compertum habemus, eo ipso tempore, quò hæretici, velut noxii Stolones, sterilesquè palmites ab Ecclesia, tanquam vite nunquam non fæcundissima, abscissi fuêre, hanc fructus longè uberiores protulisse. At nè longè exempla petamus, dū Luthero, & Calvino Duce, non paucæ Europæ Provinciæ à Christi Ecclesia descivêre, in Africa, Asia & utrisquè Indiis innumeri populi, Nationes, Principes, ac Reges Ecclesiæ Catholicæ se adjunxêre.

3. *Quid de Orientis Imperatoribus Græcis dicendum restat?*

Postquam Carolus Magnus Occidentis Imperium instauravit, Orienti exinde præesse cœperunt Imperatores Græci. Horum à Nicephoro anno 8000. ad Constantinum XIII. an. 1453. quo capta à Turcis Constantinopolis, septem, & quadraginta numerantur, qui in Tabula Chronologica. ad Opusculi hujus calcem adjecta, ordine recensentur. Ab an: 1204. Flandri duo, tresquè Galli Imperarunt usquè ad an. 1261, Horum primus Balduinus Flandriæ Comes Venetorum maximè armîs adjutus, Constantinopolim expugnavit.

4. Quæ demum res Orientis Imperio interitum attulit?

Coacervata Græcorum Imperatorum populiquè peccata. Unde completâ tandem scelerum mensurâ, immani Turcarum jugo cervices submittere sunt coacti.

5. Quinam Saracenos Neapoli, & Siciliâ ejecere?

Seculo IX. Caroli Calvi temporibûs Normanni sive *Nordmanni*, hoc est *viri Boreales*, è magna Peninsula Scandinavia profecti, facta in Galliam irruptione, Provinciam tandem, à novis inquilinis Normanniam dictam, occupârunt. Horum quidam annô 1000. in Siciliam trajecti Saracenos indè exturbarunt.

6. Quæ origo bellorum Galliam inter & Angliam Seculó IX.?

Eduardus III. Angliæ Rex, extincta Capetiorum stirpe, regnum Galliæ præ Philippo VI. Valesio sibi vindicare parabat jure hæreditario, quòd ob Matrem Isabellam gradu uno propior esset sanguini regio, Sed regnum Philippo adjudicatum est ex lege Salica, quæ fæminas regni Gallici successione excludit.

8. Num nefariæ illius conjurationis, quam pulverariam vocant, in Angliæ Regem conflatæ, socius ac particeps fuit Henricus Garnetus Societatis JESU Sacerdos?

Impudentissimam hanc hæreticorum calumniam, longeq; iniquissimam Judicum sententiam, quâ virum hunc planè innocentissimum morte condemnârunt, non solùm testes locupletissimi, omniq; exceptione majores, sed DEUS ipse

US ipse prodigiîs pluribûs, inter quæ Garneti vultus in Spica, ejusdem sanguine recenti illita, prodigiosè depictus, Catholicos gaudiô & solatiô, hæreticos pudore & ignomin â perfuderat, toti orbi testatum fecit. Post extrema tormenta, quia conjurationis conscium ex Cõfessionis Sacramento ad Senatum non detulit, mortem subbiit Christiana fortitudine verus Sacrosancti Sigilli non violati Martyr.

PARS III.

De Europæ Rebuspublicis.

Omnium Antiquissima est Veneta. 2. Genuensis. 3. Helvetorum. 4. Batavorum. 5. Luccensis. Quibus accedunt duæ aliæ perexiguæ, S. Martini, & Ragusana.

§. I.
RESPUBLICA VENETA.

1. *Quæ Reipublicæ hujus origo?*

AQuileja urbe ab Attila Hunnorum Rege annô 450. eversa, nobilissimi quiq; & hujus & vicinarum urbium incolæ in Adriatici maris insulas commigrârunt. Hic aliîs, atquè aliîs ædificiîs extructîs, Urbs Veneta ad eam tandẽ amplitudinem & magnificentiam emersit, ut inter orbis miracula meritò adnumerari possit. Ædes potissimæ, qua insulis parvis septuaginta duabus, quà palis sub aqua defixis insistunt. Cumq; urbs aquîs stagnantibus, in quas 7. flumina ex Alpibus procurrentia sese oxone-

nerant, undiq; cingatur, tum per ponticulos propè quingentos, tum per phaselos (Gondolas vocant, quarum aliquot millia semper in-promptu sunt) ultro citroq; commeandi opportunitatem præbet.

2. *Quæ ejusdem Reipublicæ potentia?*

Tanta, ut jam annô 1173. Provinciîs pluribûs in ditionem suam redactîs non maris modò dominium obtinuerit, sed ipsis adeò Orientis Imperatoribus leges posuerit. Venetorum quippe potentiâ & auxiliaribûs copiîs Balduinus I. Flandriæ Comes, capta Constantinopoli annô 1204. Imperator est renuntiatus. De insigni porrò victoria, quam Veneti à Friderico Ahenobardo anno 1175. reportârunt, hacquè clade fastu ejus represso, Ecclesiæ, quã ad id usquè temporis insectari non destitit, plenè conciliârunt. Cujus in Opusc: III. meminimus.

3. *Quid emolamenti Venetis attulêre susceptæ in Orientem, & Africam Navigationes & Negotiationes?*

Inde magna jam priùs Venetorum potentia majora sumpsit incrementa, auctis eâ industriâ in immensum opibus. Et verò navigationes hæ multò quæstuosissimæ initia confestim habuêre prosperrima, ex quo Balduinus I. Orientis Imperator Venetis ob missas ad expugnandam Constantinopolim suppetias Ægei & Jonii Maris Insulas omnes cum Creta iisdem dono transcripsit.

4. Qui

4. Qui verò summa Reipublicæ hujus fortuna capit labascere?

1. Turcæ Ægei Maris Insulas, & Cretam, ac nupero bello Peloponnesum quoquè eripuêre. 2. Batavorum Respublica ob commodiorem circum Africæ littora navigationem, amplissimum illum commerciorum alveum ad se derivârunt, obturata ingenti illa opum affluentium scaturigine.

§. 2.

RESPUBLICA GENUENSIS.

1. Quandonam Genuæ Respublica coaluit?

SUb annum 900. cùm antea ab anno 660. Longobardis primùm, dein Regibus Carolinis vectigales fuissent Genuenses. An. 935. Urbs à Saracenis vastata est, quos vicissim navali præliô devicerunt Genuenses, & Pisentinorum, qui & ipsi id temporis Rempublicam præsentabant, armis adjuti,, ex Corsica & Sardinia exturbarunt.

2. Quod bellum Genuenses inter, ac Venetos ab anno 1250. ad annum ferme 1380. exarsit?

Æmulatio è nimia utrinquè potentia, commerciisquè maritimis exorta, gravi Rempublicam utramquè bello implicuit, quo Genuenses aliquamdiu superiores, tandem Venetis succubuêre. Id dolendum erat maximè, ea partium dissensione armorum Christianorum progressum haud parùm fuisse sufflaminatam.

3, Cur Genua ab anno 1395. usquè ad 1528. Respublica esse desiit?

Intestinæ discordiæ eò adegêre Genuenses,

ut illô temporis intervallô diversis Dominis extraneis, quà sponte sui, quà vi & necessitate compulsi, paruerint; quamvis ad tempus subinde aliquod in libertatem se vindicârint.

4 *Quô pactô Genua anno 1528. in pristinam libertatem restituta est?*

Andreas Auria, ortu Genuensis, Gallicæ classis Præfectus; Regis, à quo fortè offensus est, partes deseruit, Genuamque improvisò occupavit. Cumquè supremo cum Imperio præesse potuisset, maluit pristinam Reipublicæ formam reducere, rebûs tam bene sapienterque ordinatîs, ut eo ex tempore Urbs, & Respublica hæc florentissima hodieque optata perfruatur libertate.

§. 3.

HELVETIA & VALLESIA.

1. *Quis Helvetiæ erat status, antequam coaluit in Rempublicam?*

FOrtis ac bellicosa hæc natio jam olim Julio Cæsari multum negotii facessiverat. Sub annum reparatæ salutis 430. Helvetia Burgundiæ, dein regni Arelatensis, ac tandem Imperii Romano-Germanici pars erat

2. *Qua occasione Helveti anno 1038. se in libertatem asseruerunt?*

Postquam anno 1032. Helvetia Conradi II. temporibûs Romano Imperio fuit adjuncta, Præfecti, ab imperatoribus designati, eidem præerant usquè ad annũ 1308. qui, cùm populum nimiopere premerent, uti patet ex iis,

quæ

quæ de Wilhelmo Tellio aliisquè historiæ memorant, inquilinorum animos tantopere exulcerârunt, ut excussô jugô, pulsîsquè aut occisîs Præfectîs in libertatem se asseruerint.

3. Quibus dein adminiculis Helvetii libertatem suam sartam, tectamquè servârunt?

Armorum vi; quippe cùm anno 1315. ad Bremogartum: anno 1386. ad Sempachium: anno 1499. ad Rhenum bellô peterentur, feliciùs pugnârunt, pro conservanda, quàm hostes pro eripienda libertate.

4. Quoties Helvetii de Carolo Audace Burgundiæ Duce triumphârunt?

1. Anno 1476. ad Granfonium oppidum lacui Neocomensi adjacens, ubi Carolus castris, vasario, omniquè supellectili exutus est. 2. Ad Moratum urbem lacui cognomini adsitam, ubi sex & viginti Burgundiorum millia occubuisse perhibentur. 3. anno 1477. ad Nãcejum Lotharingiæ Metropolim, ubi Dux ipse in fuga ab Helvetiis cæsus, morte sua bello finem imposuit.

5. Quando fœderi an: 1308. Svitios inter, Urienses, & Subsylvanos inito Cantones reliqui se adjunxêre?

Anno 1332. Lucernates: anno 1351. Tigurini: anno 1352. Glaronenses & Tugienses: anno 1353. Bernates: anno 1481. Friburgenses & Solodorani: anno 1501. Basileenses & Scaphusiani: anno 1513. Abbatiscellenses accessêre. Cùm iisdem fœdus quoquè ac Societatem coiêre subinde Grisones, Vallesii, Prin-

cipatus Nèócomensis, oppidum S. GALLI, Mulhusium, Geneva, Bienna &c. Abbas porrò ad S. GALLI solis Catholicis Cantonibus fœderatus est.

6. Quæ bella intestina in Helvëtia exarserunt Anno 1531. 1686. & 1712?

Primum excitavit quorundam Cantonum ab avita Religione defectio; unde magna Catholicos inter & Heterodoxos exorta animorum dissensio. Ulricus Zwinglius, belli hujus fax, malorumque omnium origo, in acie cæsus, Deo & hominibus meritas perfidiæ pœnas dedit. Altera belli flamma inter Helvetios exarsit anno 1686. commissum prælium prope Vilmergam magna Acatholicorum strage. Tertium Anno 1712. minùs feliciter gessêre Catholici.

De VALLESIA.

1. Quamdiu Vallesia restitit Romanis?

Incolæ Regionis hujus, altissimis undiquè montibus vallatæ, tanta se fortitudine opposuêre Julio Cæsari, ut per vallem hanc prælongam penetrare in Galliam nunquam potuerit. Tandem, imperante Octavio Augusto, Vallesia in Provinciam redacta, & municipatûs jure à Romanis donata est.

2. Quid imperante Maximiano Cæsare ibidem actum?

Hic ad sedandos Galliæ tumultus per Vallesiam cum exercitu profectus, ad Deos placandos solemne sacrificium indixit. Cui ne interesse cogeretur Thebæorum legio, Christianis

ſtianis Sacris initiata, Duce atque hortatore Mauritio, à reliquis copiis diſceſſit. Cumquè eos in caſtum revocare laborâſſet Cæſar, decimum quemquè occidi primùm, ac tandem nè uno quidem à Chriſti caſtris deficiente, univerſos contrucidari juſſit ad Fauces, quibus hodiequè à Sancto MAURITIO nomen eſt.

3. *Quos Valleſia Dominos habuit?*

Eoſdem, quos vicina Burgundia, atquè Helvetia, Romanos nempe, ac dein Burgundionum Reges uſquè ad Carolum Magnum à quo, uti Münſterus in Coſmographia memorat, Valleſia Epiſcopo Sedumensi permiſſa eſt. Indè regno Arelatenſi, ac demum Romano Imperio eſt adjecta. Poſt tot fata nulli amplius extero paret, ſed regitur hodie tùm ab Epiſcopo qui S R. I. Princeps, Comes, & utriuſque Valleſiæ Præſes eſt; tum à ſupremo Provinciæ Præfecto; tum à ſeptem Communitatibus, quas *Diſenos* appellant.

4. *Quæ Valleſiæ Religio?*

Catholica, quam in hanc uſque diem ſingulari fervore & conſtantia profiteri pergit. Provinciæ hujus Epiſcopatus inter antiquiſſimos Galliæ, ac Germaniæ numeratur.

§. 4.
BATAVORUM RESPUBLICA.

1. *Quid de univerſis Belgii Provinciis ſummatim memorandum?*

SEptemdecem Belgii Provinciæ, poſt diviſum Carolingorum Imperium, Auſtraſiæ

Regno maximam partem sunt adjectæ. Seculo XIV. & XV. pars earum Burgundis, dein per Caroli Audacis filiam Domui Austriacæ, ac tandem per Carolum V. Hispanis obvenêre universæ. Regnante porrò Philippo II. Caroli V. Filio, initium datum Belgicis tumultibus. Ex occasione septem Provinciîs à cæteris decem avulsîs, Batavorum Respublica coaluit.

2. *Quæ Belgicarum Turbarum Origo?*

Potissima ac ferme unica erat funestissima illa ab avita Religione defectio; indè enim turbis, innumeris factionibus Geusiorum, dissidiis, seditionibus, perduellionibus, cruentis & internecinis bellis non inclytum modò Belgium cum finitimîs Provinciis, sed Ecclesia quoquè universa irreparabili tot millium animarum strage affecta, & lacerata est. Nobiles primùm Juvenes impia hæreticorum dogmata apud exteros hausta in Patriam invexêre: laudata passim sentiendi, faciendiquè quidlibet libertas: quam cùm Sacræ Inquisitionis frœnô Rex coërcere statuisset, conflata demum Arausicano Duce, Nobilium primùm, dein & populi anno 1566. conspiratio, quam Margarita Parmensis, Belgii Gubernatrix, insignî de perduellibus relatâ victoriâ diremit tantisper, restinxitquè: sed recruduit subinde malum nimia Ducis Albanensis severitate, quâ in omnium odia offensionesquè incurrit. Hac occasione Arausicanus utendum ratus, Belgas ad defectionem solicitavit, è

quibus

quibus Batavi anno 1568. & 1570. facta conjuratione, cum Hispanis navali prælio iterum iterumque congressi, ea damna intulêre, quæ nec Joannis Austriaci, nec Alexandri Farnesii admirabilis prorsus, omniquè laude superior virtus ac fortitudo sarcire potuerit.

3. Quò tandem recidêre Conjuratorum molitiones?

Post gustatam victoriæ dulcedinem, commerciis vacatum, mariaquè propè universa ad quæstum faciendum tentata. Cumquè hac ratione orbis totius opes in suas Provincias, piscatu ùt plurimùm vivere solitas, coacervari posse comperissent, tum demum anno 1581. conjurati excussô penitus Hispanorum jugô, nullius deinceps dominationi subesse, sed suo duntaxat jure & arbitrio vivere decreverunt. Ea de causa novum exortum est bellum, quo septem omnino Provinciæ à reliquo Belgio fuerunt avulsæ, quæ exinde *Belgium* Fœderatorum appellari consuevêre.

4 Quibûs adminiculis Hollandia ad tantam potentiam juxtâ & opulentiam progressa est?

Quæstuosissimìs potissimùm ad Indos navigationibûs, quibus opes ingentes, quas Veneta olim Respublica collegerat, indefessâ suâ industriâ comparavit.

5. Quænam septemdecem Belgii Provinciæ?

Hæ ex quatuor constant Ducatibus, Brabantiæ nempè, Geldriæ, Limburgensi, & Luxemburgensi. Septem Comitatibus Hollandiæ, Seelandiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Namurci,

murci, Zutphaniæ. Quinque Dominiis, Ultrajectino, Trans-Isalano, Frisiæ Occidentalis, Gröningæ, & Mechliniæ. Hæ porrò Provinciæ Domum Austriacam inter, Galliam, & Hollādiam sunt dispertitæ. Fœderatæ Provinciæ sunt 1. Hollandia. 2 Seelandia. 3 Geldria inferior cum Zutphaniæ comitatu. 4. Ultraectum. 5. Provincia Trans-Isalana. 6. Frisia Occidentalis. 7. Gröninga.

§. 5.

Respulica Luccensis, S. MARINI, & Ragusana.

1. *Quid de Republica Lucensi breviter dicendum?*

Sita hæc est in magno Hetruriæ Ducatu, diversisquè primùm Dominis parebat, donec anno 1430 in libertatem se asseruit, assentiente, actaquè omnia rata habente Carolo IV. Et quanquam Respublica hæc potentiâ & viribûs haud admodum præpolleat: suam tamen libertatem sartam tectamquè conservat legibûs bonîs, probequè constitutâ Regiminis formâ.

2. *Quis Reipublicæ S. MARINI status?*

Perexigua hæc in territorio Pontificio sita Respublica ab anno 600. Libertatem suam sub Pontificum Romanorum clientela constâter & inviolatè continuavit. Nomen habet à S. MARINO, Dalmata, qui Seculo III. in Italia Divini Verbi sementem sparsit, eoque in loco, ubi urbs modò exstructa est, vitam duxit solitariam.

3. Quid demum de Republica Ragusana memorandum?

Exigua hæc Respublica in Dalmatiia sita est, cui Regiminis forma eadem propè, quæ Venetorum. Turcarum Imperatori, in cujus tutela est, annuum vectigal pendit. Cæterùm urbs frequens est, & copiosa, ac celebre emporium. Singulari cultu prosequitur S. BLASIUM Episcopum, cujus festum diem quotannìs quatridnum ipsum solemni pompa celebrare consvevit.

Observationes ad partem tertiam.

1. Quid de ortu, ac progressu Rerumpublicarum singulari dignum observatione?

Pleræquè originem suam debent armis, incrementum commerciis, felicitatem bonis legibus, splendorem artibus, ac disciplinis. In hoc fortunæ apice præcipitio sunt proximæ, nisi sibi caveant à nimio luxu, & opulentiorum Magnatum ambitione, uti omnium potentissimæ Reipublicæ Romanæ funestissimus casus abundè docuit.

2. Quæ Regiminis forma Rebuspublicis Europæis?

Ut plurimum Aristocratica, Democratica permixta, quasî Veneta, Genuensis, potiores Helvetiæ Cantones & Holandia uti consuevêre. Uriensibus, Tugiensibus, Suitiis, & Subsylvanis regimen Democraticum præplacet. Democratica porrò est imperium populi, Aristocratica verò Optimatum,

3. Ecquod Reipublicæ Venetæ, & Genuensi caput?

Utrique Dux, *Doge* dictus, præest: cui tamen fas non est, Senatu inconsulto, decretum, aut legem condere.

4. Quis Religionis status in Helvetia?

Lucerna, Friburgum, Solodorum, Suitia, Uria, Sublylvania, Tugium, in avita semper Religione perstitêre immobiles: Tigurum verò, Berna, Basilea, & Scaphusia à Catholica fide defecerunt. Glatonenses & Abbatiscellani mixtæ sunt Religionis.

PARS IV.

De Regnis, & Provinciis extra Europam.

Hic strictim percurremus 1. Regna & Provincias Asiæ, nempe Turciam Asiaticam, Persiam, Indiam, Tartariam magnam, Chinam, & Japoniam. 2. Regna Africæ & Americæ.

CAPUT I.

De Provinciis Asiaticis.

§. 1.

De Turcia Asiatica.

1. Quæ Turcicæ potentiæ exordia?

MAhometes Pseudopropheta ex Arabia oriundus sub annum 630. suos ibidem erro-

res disseminare cœpit; hujus sequaces fuêre Saraceni ab Arabico verbo *Saraz*, quod idem est, ac prædari, aut furari, sic appellati. Mahometani porrò hi prædones Regiones plurimas in suam potestatem redegêre. Machometis sectam postmodum Turci quoque amplexi sunt, qui in Asia longè lateque grassari cœpêre.

2. *Quinam post Mahometis interitum Califæ vocabantur?*

Erant Mahometis successores, qui partim Babylone, partim in Ægypto dominabantur. Horum octo & quinquaginta numerantur, continua serie sibi succedentes, donec Annô 1300. Imperium Turcicum ab Ottomanno I. fundari cœptum.

3. *Quantos pedetentim progressus fecit Turcarum potentia?*

Sub annum 1030. Turcæ Persiæ regnô sunt potiti. Inde Provinciîs compluribûs ab Orientis Imperio avulsîs, Hierosolymam anno 1075. expugnarunt, ubi Christianos tot oneravêre malîs, ut Europæi Principes Turcis bellum inferre, & Hierosolymam cum Palæstina recuperare decreverint. Atquè hæc quidem urbs anno 1099 occupata est; verùm Annô 1197. denuo amissa. Nec feliciores fuêre in Palæstina progressus ob Christianorum maximè Principum discordias. Quo tempore Godefredus Bullionius primus Hierosolymis regnabat, quinque Asiæ Principatus sat amplos Turci obtinuêre. 1. In Bythinia. 2. In Cili-

cia 3. Edeſſæ in Meſopotania. 4. Antiochiæ. 5. Damaſci, Mahometanis interim Califis in Babylonia juxtà & Ægypto ad Imperii clavum ſedentibus. Tandem ex Imperii Conſtantinopolitani & Trapezuntini ruinis ſurrexit Turcarum Monarchia, regnîs ampliùs ſeptuaginta ſub unius tyranni imperium ſubjunctis.

4. *Quænam Annô 1270. Occaſio oblata eſt Turcarum potentiam vel enervandi, vel penitus òpprimendi?*

Agabas Tartarorum Princeps (Chamum appellant) Chriſtiana Religione ſuſcepta, Turcis Palæſtinam eripere ſtatuerat, invitato in belli ſocietatem ſummo Pontifice, aliiſque Principibus Chriſtianis. Hos inter S. LUDOVICUS Galliæ Rex omnium primus in Chriſtiani nominis hoſtes movit, qui tamen cum magna exercitûs parte peſtilentiâ (arcana hæc DEI ſunt judicia) ſublatus eſt. Cumquè cæteri Europæ Principes Chriſtiani, ac geminæ inprimis, eæquè præpotontes Reſpublicæ Veneta & Genuenſis eo ipſo tempore inter ſe diſſiderent, belliſque inteſtinis implicarentur, occaſio illa opportuniſſima Turcas, junctâ Tartarorum operâ, debellandi prorſus evanuit.

§. 2.

Perſiæ Regnum.

1. *Quæ Perſiæ fata poſt collapſam Monarchiam?*

DArió Codomannô è vivis ſublatô, Alexander Magnus perexiguo tempore Imperii Perſici

Persici gubernacula tenuit. Successores porrò usquè ad annum reparatæ salutis 229. de dominatu identidem inter se concertârunt, ut adeò à tempore illo de subsequentium Persiæ Regum serie nihil certi ac definiti habeamus. An. 229. regnare cæpit. Artaxerxes cui succesſsêre ad annum usquè 630. Reges duodetriginta. Ex horum numero Sapor erat, & Isdegerdes Christianorum uterquè vexator, exagitatorquè crudelissimus.

2. Quinam ab Anno 630. ad Annum 1514. in Persia regnârunt?

Oppidò diversi, quos inter & Turci ex Tartaria profecti, & post hos aliquamdiu Mogolici Imperii Monarchæ. Anno 1514. nova Persiæ Regum, *Sophy* vel *Schach* dictorum, series imperare cœpit. Tandem pulsô demortui Schach Solimani filiô, perduellis ille Miriweyſs, hôcquè defunctô. Soldanus Eschref Persiæ sceptrum sibi adhuc vindicavit; tametsi Persarum non pauci Sophy illius partes etiamnum sequantur.

3. Quis Persarum Genius?

Jurati sunt. Turcarum hostes: ac licèt impii Machometis erroribus & ipsi adhæreant; multîs tamen capitibûs, utì & linguâ ipsâ inter se discerpant. Regio illorum fertilissima, præter arborum fructus pretiosissimos, abundat præcipuè sericô & gossipiô, quorum copiam ingentem quotannôs aliò exportare, ac divendere solent.

§. 3.
De India.

1. *Quid de priscis Indiarum monumentis memoriæ proditum est?*

NUgîs pleraquè, & fabulîs sunt referta: quippe majores nostri vel usquè eò non penetrârunt; vel, si qui fortè illuc excurrerunt, soli felicitate, ubertateque illecti, de reditu haud ampliùs cogitântur; sed stabilem ibidem fixêre sedem. Rex quidem Alexander Magnus cum suo illuc exercitu appulit, Regemque Porum, fortitudinis laude celebratissimum, devicit; sed importunîs militum querelîs compulsus est reditum maturare.

2. *Quid de rebus Indiæ recentioribus compertum habemus?*

Vascus Gamma Lusitanus sub annum 1490. in Indiã solvens, regiones illas, rerum omnium affluentiâ refertissimas, detexit; ubi confestim Lusitani mercaturam facere, nec uno in loco sedem figere perrexerunt, qui & Goam, Indiæ caput, hodieque possident. His tamen emporia plura & celeberrima eripuêre Batavi, augendis opibus unicè intenti: quem in finem ad oram præcipuè maritimam arces munitissimas excitârunt.

3 *Quinam in India rerum potiuntur?*

Dividitur hæc in tres partes præcipuas, quarum prima continentem, seu Indiam mari tinam, ubi amplissimum magni Mogolis Imperium; secunda & tertia duas peninsulas prægran-

grandes, unam Cis, alteram trans Gangem cõplectitur. Utrinque Reges ac Principes diversi dominantur, Mahometanîs, aut ethnicîs erroribûs impliciti. Magnus nihilominus Neophytorum est numerus, quos Europæi Sacerdotes, illuc missi, veræ Religionis dogmatîs imbuendos curârunt, è quibus solus S. FRANCISCUS Xaverius ultra deciés centena millia sacri baptismatis fonte manu sua abluit. Ac enim hisce Ecclesiæ novalibus, tanta animarum messe exuborantibus, magnam postea vastitatem intulêre Batavi & Angli, magîs de lucello temporario, quàm de tot millium animarum pretiosissimo Christi sanguine emptarum salute soliciti.

4. *Quid de magno Mogole memorandum?*

Monarcha hic Indiæ totius potentissimus, obquè, opes & copias ingentes orbis propè universi ditissimus esse perhibetur. Regna duodequadraginta in sua tenet ditione. Gēmmarum pretiosissimarum copia illi tanta, ut ob harum & numerum & prætium vel solus ejus thronus regius 160. millionibûs, thesaurus verò universus 1500. millionibûs, æstimetur.

5. *Quanam è Regione Mogolenses in Indias transmigrârunt?*

Anno 1401. è vicina Tartaria illuc appulêre magni Tamerlanis ductu. Hic Bajazetem, in acie captum, aureæquè inclusum caveæ tā-diu secum in triumpho circumduxit, donec is impactum cratibus capus præ indigatione sibi elisit.

§. 4.
De Tartaria.

Tartaria bifariàm dividitur, 1. in Europæam sive minorem. 2. In majorem, sive Asiaticā.

1. Quid de Tartaria minore compertum habemus?

Sita hæc est intra Europæ limites, Chersonesus Taurica à Romanis appellata. Incolæ sub Turcico ùt plurimùm, Imperatore merent stipendia, crebrisquè excursionibus Polonos & Russos infestant. Sunt bellicosi: equîs utuntur parvis ac macilentìs, quorùm majorem longè curam gerunt, quàm sui ipsorum. Unde/ proverbii locum apud illos obtinuit: Tartaro potiùs capitis sui, quàm equi jacturam esse faciendam. Equis vehuntur ea celeritate, ut nec fugientes quis assequi possit, nec hærentes in tergis victores, nisì ægrè admodum, effugere. Equitando maxima quæq; flumina trajiciunt. Supellectilem universam quisq; secum deferre consvevit: in sacco cibaria, in utre potum devehunt: ex eadem patina lignea & equus pabulum, & eques cibum sumit. Ephippio substernunt stragulam, cui noctu incubant. Ephippium ipsum cervicalis; pallium verò tentorii loco est, sub quo somnum capiunt. Carne, & caseo potissimùm victitant Tartari; nam panem, herbas, & olera bestiarum victum esse dictitant. Sæpe carnē crudam subdunt Ephippio, donec calore illo maceretur nonnihil, gulæ mox servitura. Siquis nobilium Tartarorum epulum solemniùs hospitibus apparat, pullus equinus in maximis deliciis habetur.

Sitim

Sitim nonnisi vaccino, aut equino lacte levant, quam per integrum etiam diem antè toleraturi sunt, quàm aquam degustent. Tartaria hæc desertis undiquè locis cingitur; cùm nemo non esse velit quàm remotissimus ab his Harpyiis. Sunt Tartari facie deformi, oculis reductis, subsimis naribus &c.

2. *Quæ majoris Tartariæ facies?*

Regio hæc vastissima partem potiorem nobis incognita est. Ex ea Tartariæ parte, quam Cathaiam vocant, vicinoquè è Regno Ninki anno 1630. Tartari, facta in Sinam irruptione, ibidem consedêre. Hac ipsa è Regione olim Turcas aliò commigrâsse suprà meminimus. Magnus Tartarorum Chamus in summa apud suos veneratione est, diciturq; filius, anima, & umbra DEI. Quando vitâ defungitur, ad decem hominum millia trucidantur, futuri in altera vita, uti Tartari sibi persuadent, magni Chami Satellites, ac Prætoriani.

§. 5.

Regnum Sinense.

1. *Quid prisca Sinensium monumenta de regno hoc memorant.*

IN confesso est, in nullo orbis regno succedentium sibi Regum seriem tam accuratè fuisse descriptam, atque in Sina; nam uti gentis Sinicæ fasti memorant, Foh-Yus, & post hunc Yaus ducentis à diluvio annis, vivo etiamnum Noëmo, Monarchiam Sinicam fundârunt uniusq; Numinis cultum propagârunt.

Quem in finem pecora alebant, cæli terræq; Domino immolanda. Quos hosce Monarchas exinde secutus est Chuen-Hi. qui ad divinum cultum conservandum viros doctissimos (Mandarinos vocant) constituit. Eadem cura fuit Imperatorum proximè succedentium, quoad prævalente idolorum cultu, notitia veri Numinis obscurata fuit. Geminæ porrò periodi hic præcipua notatione dignæ sunt. Prima anno 1280. quo Tartari Occidentales in Sinis penetrârunt, annosquè nonaginta ibidem summa cum potestate præerant. Altera An: 1642. quando Tartari Orientales universô potiti regnô, stabilem inibi sedem fixerunt; ità tamen, ut de pristina regìminis forma nihil admodum immutarent. Hodiernus Sinensium Monarcha Yum Chim inter Imperatores Sinicos est ducentesimus quadragesimus tertius, inter Tartaros verò Orientales tertius.

2. *Quis Regni hujus Status?*

Vastissimum Sinarum Imperium in quindecem Provincias sive Præfecturas majores dividitur. Urbes tormentîs muralibûs, militibûs, munimentîs instructissimæ ampliùs mille numerantur. Reliquarum urbium, quarum pleræq; duas, tres quatuòrve leucas circuitu complectuntur, uti & arcium, oppidorum pagorumq; tantus est numerus, ut Sina universa una quodammodo urbs videri possit. Imperator Xihoam ad cohibendas Tartarorum irruptiones annîs ante Christum natum ampliùs ducentîs murum illum ingentē per leucas ferè quin-

quingentos excitandum curavit, additis Turribus, fossis, aliisq; operibùs, ubi metus ab hoste major.

3. Quæ Regni administrandi ratio?

Longè optima; summa enim Imperatoris & Magistratuum reverentia, & auctoritas: summa populi concordia: leges sapientissimæ. Nulla in Sina nobilitas hæreditaria; sed tantò quisq; nobilior est, quantò doctior. Ad munus quodcunq; demum nec sanguinis prærogativâ, nec largitionibûs, nec gratiâ, nec patrociniis, sed virtute duntaxat & doctrinâ gradus sternitur. Juventus, quæ otiô ferme marcescit, continua occupatione avocatur à vitiis, vixq; habet respirandi spatium, nedum cupiditatibus indulgendi.

4. Quis religionem Orthodoxam in Sinas invexit?

Societas JESU annis ampliùs quadraginta nihil inausum, intentatumq; reliquit, ut gêtem aliâs cultissimam veri Numinis notitiâ imbueret. Igitur magnô Indiarum Apostolô Xaveriô in tanti operis molitione ac velut procinctu ad cælestia præmia evocatô, mirum est, quot quantisq; laboribus, industriis, vitæ periculis gravissimis, innumerisq; difficultatum propè insuperabilium obstaculis perruptis, in Regnum hoc vastissimum, à ducentis facilè hominum millionibus frequentatum, viam tandem & aditum sibi aperuerit. Neq; verò tanti, totq; annorum labores in irritum cecidêre; quippe ultra duodecies quà adultorum, quà

parvulorum millia æternæ salutis fonte quotannis initiatos fuisse constat. Favebant piis hisce conatibus cùm antecessores, tum præcipuè Imperator Cham-Hi, anno 1722. morte sublatus, quo regnante ampliùs ducenta Christianorum millia in Sinis numerabantur. At Imperator hodiernus legem Christianam pariter & illius Magistros aversari & insectari non cessat.

5. *Quæ Sinensium indoles?*

Sunt arrogantes, & ab exterorum conversatione, ac commercio alieni. Ceremoniarum nec modus, nec finis est quando vel Mandarinorum quispiam invisendus est. Mathematicas disciplinas præ reliquis æstimant; nequè aliarum artium ignari sunt, & inexperti, utpote ad quas excolendas nec ignenium iis, nec industria deest. Interiora ædium, quæ ultra unam contignationem non assurgunt, peculiari liquore obducta nitent. Fœminis vel pedem domo efferre probro ducitur. Lingua Sìnica commune nil habet cum aliis orbe reliquo usitatis; captuquè tam est difficilis, ut vix doctorem unum reperias, qui dimidiam characterum Sinensium, quorum amplius octoginta millia recensentur, calleat. Unde miraculi instar habetur, quòd Evangelii apud Sinas præcones tam exiguo tempore loqui pariter, & scribere condiscant.

§. 6.

Japonia.

1. Quid de Japonum rebus gestis exploratum habemus?

AD annum usque 1549. nil aliud nobis innotuit, quàm Japones antiquissimis temporibus è Regno Sinensi in Insulas hasce commigrâsse; hinc illis hodiequè non pauca cum Sinensibus communia. Anno porrò, quem dixi, 1549. Lusitani illuc appulêre, cumquè his magnus Indiarum Apostolus FRANCISCUS Xaverius, qui omniū primus Christi fidem cum fructu longè uberrimo ibidem promulgavit. Imperium Japonense sexaginta sex regna minora complectitur. Japonum Monarchæ potentes æquè sunt, ac feroces, magnasquè opes colligunt ex auri, & argenti fodinis.

2. Quo ibidem successu Religio Christiana propagata est?

Ab anno potissimùm 1613. usquè ad 1629. Christianorum numerus tantopere est auctus, ut horum ampliùs quadringenta millia censerentur. Verùm hæc ipsa Neophytorum incrementa bilem dudum commoverant Taicosamæ, Japonum Imporatori, cui novos stimulos addidit Batavorum Navarchus. Docebat hic Imperatorem, Patres Societatis non alium in finem advectos fuisse in Japoniam, quàm ut simulatione pietatis regnum turbent: avocent populos à Principum obsequio, & ad subeundum Hispanæ dominationis jugum perdu-

cant Hanc ob causam à plerisquè Germaniæ Principibus, ab Ordinibus Fœderatis Batavorum, & ab Anglis tanquam publicæ rei turbatores expulsos fuisse: Religionem porrò, quam docerent, non esse veram illam, & sinceram Christi legem, sed variis superstitionibûs & commentis adulteratã. His attonitus Imperator in Christianos tãta mox immanitate debacchari cœpit, ut nec Nerones & Diocletiani atrociùs in eosdem animadverterint. Interea Batavi omne cum Japonibus commercium soli tenent, eòque impietatis sunt progressi, ut, cùm aditus in Japoniam Europæis aliter haud amplius pateret, per calcatam sacrilegis pedibûs Crucis Christi effigiem illuc pergere non dubitârint.

3. Quæ Japonum indoles?

Bene multis iisquè pecularibus utuntur ritibus, ab Europæorũ usu & consuetudine omnino alienis. Caput nunquam obtegunt, barbam promittunt. Radunt comam plebeji dimidiam, nobiliores totam, relicto in occipite cirro, quem oblongæ tæniæ instar, in humeros rejiciunt. Vestis illorum manicata, defluit ad genus usq; quàm nobiles auro, argento, gemmisquè pretiosissimis distingvunt. Japones salutaturi quempiam, vel honorem delaturi, calceum vel crepidam exuunt. Hospitem ad se fortè invisentem sedentes excipiunt. Color nigricans lætitiæ; candidus contra tristitiæ illis signum est. Dentes carbone nigriores arte reddunt. Medicamentis utuntur crudis acribus, multoq; sale conditis. Sanguinem

nunquam

nunquam mittunt. Musicus noster concentus illis, perinde atque illorum nobis desipit. Acinaces geminos è latere suspendunt. Cæterùm Japones Christiani, præcipuè verò Martyres, totetantaquè virtutum planè heroicarum edidêre specimina, quanta, vix universa recenset Historia Ecclesiastica.

CAPUT II.

De Regnis Africanis, & Americanis.

§. 1.

De Africa.

1. *In quas præcipue partes, Africa dividitur?*

IN tres primarias. Prima complectitur Regiones Africanorum subalbicantium, nempe Barbariam, Ægyptum, Biledulgerid, & Zaaram. Altera nigricantium, nempe Nigritaniam, Nubiam, & Gvineam. Tertia Abissinam superiorem & inferiorem, sive Æthiopiam. Nos Africam dividemus generatim in Borealem & Australem.

2. *Quid de Africa Boreali summatim dicendum?*

Complectitur hæc Barbariam, Ægyptum, Biledulgerid, Zaaram, Nigritaniam & Guineam. Ægypto olim peculiares præerant Reges: Barbaria hodierna, quondam Africa minor dicta, Carrhaginensibus primùm, dein Romanis subjecta erat. Seculo V. Africam ab Imperio Romano avellebant, Vandali; qui tamen à Be-

lilario

lisario Cæsaris Justiniani Archistratego, coacti iterum sunt solum vertere, postquam Reges seni ibidem centum ampliùs annîs regnaverant. Seculo VII. Saraceni in Africa minore & Ægypto consedêre, Hodie Barbaria ad maris Mediterranei oram procurrens, tres complectitur Respublicas, Tripolitanam, Tunetanam, & Algerianam, omnes Turcis vectigales. Regnū Marochii & Fezzæ ad Oceanum protenditur. Has Africæ Regiones altero statim à Christo nascente seculo veræ fidei lumen ità collustravit, ut brevi temporis spatio incolæ omnes Christo nomen darent. In sola Ecclesia Africana ante Vandalorum irruptionem Episcopi ampliùs sexcenti numerabantur. At enim tam copiosa fidei lux per Vandalos Arianos primùm, dein per Saracenos Mahometanos penitus extincta est. Tertulianus Doctorum Ecclesiæ antiquissimus; Sancti itèm Augustinus, Cyprianus, Fulgentius, plurésquè alii ex Africa oriundi, Sacris ibidem præerant, dum ager ille Africanus pulcherimè efflorescebat.

3 *Quid de Africa Australi memorandum?*

In Abassia sive superiore Æthiopiæ parte magnus Neguz, quem alii Presbyterum Joannem nulla veri specie appellant, non pauca de regni sui antiquitate Abissini magnificentiùs quā veriùs meminisse solent. Regina Saba, quæ Salomonis sapientiam exploratura Hierosolymā contenderat,, illic regnâsse, postq; suum ex urbæ Solymæa reditum leges ac ceremonias Judaicas introduxisse perhibetur. Novæ porrò legis tempore Abissini è Reginæ Candacis Eunucho,

Eunucho, quem S. PHILIPPUS Apostolus sacro fonte abluit, Christianæ Religionis dogmatis imbuti fuêre. Indè invalescente Eutychetis & Dioscori hæresi, penè omnia pessumivêre.

4. Quinam cæteri Reges Africani?

Regionem Biledulgerid Rex Tafpiletanus, Nigritaniam Tombutanus, Nubiam Dancalanus, extremam Africæ partem Rex Congi & Imperator Monomotapæ sub sua tenent ditione. Sed & Hispaniæ, Lusitaniæ, & Angliæ Reges, cum Batavorum Republica ex hac orbis parte sibi suam quisquè particulam decerpsêre.

§. 2.

America.

1. An priscis etiam temporibus ex hac orbis parte quidquam innotuit?

VErisimile videtur, Phœnices & Carthaginenses quandam illius habuisse notitiam; tametsi eorum haud multi admodum illuc pervenerint, cùm ob exiguam rei nauticæ peritiam, tum ob iter longissimum, multîs periculîs impeditum. Plato sapientissimus suis in commentariis de hac orbis parte mentionem ingerit sub nomine magnæ Insulæ Atlantis, quam amplioribus limitibus circumscribit, atquè Asiam & Africam seorsim sumptam; addit dein, hanc Insulam iterum evanuisse.

2. Quid de Americæ rebus compertum habemus?

Ante Hispanorum & Lusitanorum in Americam adventum perparum constare de illa potuit. Anno 1492. Christophorus Columbus,

bus, Genuensis, Insulas Americanas, post hunc vero, anno 1497. Americus Vespuntius Florentinus, Americam ipsam, ab inventore sic appellatam, detexit. Nec multò post Hispani duo præcipuè Regna Maxicanum & Peruanum in suam redegêre potestatem. Numerant hi in America Archiepiscopatus sex, cum quatuor & triginta Episcopatibus Regnum Peruanum ob auri argentiq; vim ingentem, quotannis in Hispanas deportari solitam, præ reliquis celebratur. Prisci Reges Peruani auro tanto pere abundabant, ut non modò vasa omnia è præstantissimo hoc metallo conficienda; sed vel ipsa delubrorum quorundam tecta aureis laminis obtegenda curaverint.

3. *Quinam Europæ Principes potissimas Americæ Regiones obtinent?*

Hispani, ùt dictum est Regnum Mexicanum & peruanum præter alias Provincias; Lusitani Brasiliam, Galli Canadam sive novam Franciam; Angli Virginiam: Batavi Oram maritimã, in Guajanensi tractu possident. Sunt insuper in America plures alii populi, sui etiamnunc juris & municipii, moribus ritibusquè efferati, cum aliquot Regulis.

Observationes ad quartam partem.

1. *Quænam dicuntur Indiæ Orientales, quænam Occidentales?*

Quæ in Asia sitæ sunt, Indiæ Orientales, utpote ortum spectantes; quæ verò in America,

ca, Indiæ Occidentales vulgò appellari solent, quòd hæc orbis pars solem respicit occidentem. Reaspe Indiæ appellatio nonnisi solius Indiæ Asiaticæ propria est.

2. *Quis erat Confucius?*

Philosophus Sinensis, Romano neutiquam inferior. Hic anno quingentesimo 51mo. ante Christi ortum natus, imperium Sinicum, ipsosquê adeò Imperatores & rexit consiliis, dum viveret, & post obitum, sapientissimis, quos reliquit libris, effatisquè hodiequè gubernat. Hunc falsa coluisse numina, nemo etiam eorum, qui cultum illis adhibent in Sina, dicere unquam est ausus. Ab Atheorum verò dementia quam longè non ipse tantùm, sed prisca Sinarum ætas omnis absuerit, antiquissima Sisiũ, codicũ, & certissima monuměta declarant. Hunc Sina ùt virum eximiè sapientem venerari, summoquè honore in hunc usquè diem prosequi pergit.

3. *Què pacto florentissimas olim probeq; Catholicas Asiæ & Africæ Regiones secta Machometana, aliæq; hujusmodi pestes infecêre?*

Procul dubio mali hujus causa præcipua erat peccatorum mensura completa, totquè divinorum donorum, quibûs incolæ in suam perniciem malè usi sunt, neglectus.

4. *Quomodo DEUS hæc tanta Ecclesiæ suæ detrimenta resarciebat?*

Eo ipso ferè tempore, quo in Africa & Asia à Saracenis & Turcis Christianæ fidei lumen extinctum, in Europæ Regnis Provinci-

isquè aliis atquè aliis accensum est. Cùm verò ante annos ducentos Lutherus &, Calvinus plurimos à Christi ovili seduxissent. DEUS ex Indiæ & Americæ gentibus ad idem ovile longè plures per viros Apostolicos adducendos curavit

5. *Ecquis igitur rei Christianæ status apud Indos & Americanos?*

Præterquam quòd ab annis ampliùs ducentis Regna integra, Provinciœquè amplissimæ, in America præsertim, Religionem Catholicam sint amplexatæ, gentes illæ in hanć usquè diem Christi ovile gregatim subeunt, ex quibus quàm plurimi sunt, qui singulari Religionis studio & fervore Christianis Europæis supinā ignaviam, torporem, rerumque divinarum incuriam exprobrent.

Notandum, quòd descriptio paulò amplior Germaniæ hic prætermissa in Opusculo Sexto *Imprimetur; in cujus locum hìc in gratiam Juventutis Polonæ, descriptio Politica Regni Poloniæ, Substituta.*

Tabula Chronologica Europæ Regum Successionem Exhibens.

Reges Germaniæ sive Imperatores vide ad Calcem Opusculi tertii.

Cæptũ Regnũ	Reges Lusitâniæ.	Anni Regni	*Synchronism9* eventuũ memorabilium.
1090	Henricus *Burgundus è Francorum Regio Sangvine Comes Lusitaniæ,*		
1139	1. Alphonsus	46.	Mauri è Lusitania pulsi
1185	2. Sanctius I.	27.	
1212.	3. Alphõsus II,	11.	
1223	4. Sanctius II.	25.	
1248.	5 AlphõsusIII.	31.	
1279	6 Dionysius.	46.	Conjunx S. *Elisabethæ*
1325	7. Alphõsus IV	32.	
1357	8. Petrus.	10.	
1367	9. Ferdinandus	16.	
1384	10. Joannes I.	50.	
1434.	11. Edvardus.	4.	
1438.	12. Alphõsus V.	43.	
1481.	13. Joannes II.	14.	Vascus Gama ad Indos navigat 1490.
1495.	14. Emmanuel.	26.	
1521.	15. Joannes III	36.	S. Franciscus Xav. ad Indos 1540. mittitur.
1557.	16. Sebastianus,	21.	Occidit: in Afric. 1578.
1578-	17. Henricus	2,	Erat Cardinalis, & Patruus Sebastiani.

1580	18 Philippus I.	18	Simul Rex Hisp: di, II.
1598	19 Philippus II.	23	Rex Hispaniæ III.
1621	20 Philippus III.	19	Rex Hispaniæ IV.
1640	21 Joannes IV,	16	Pulsi Hispani,
1656	22 Alphonsus VI.	11	Deposito succedit
1667	23 Petrus II.	39	Frater.
1706	24. Joannes V.		

REGES HISPANIÆ.

Cæptū Regnū	Reges Gothi Ariani.	Anni Regni	*Eventus memorabiles.*
414	1. Ataulphus	1,	Ab A. 408 imperant in Gallicia Reges *Svevi* usq; ad *An.* 584 quo ejecti à Leovigildo.
415	2. Sigericus.	M. 6	
416	3. Wallia.	13.	
429	4. Theodoric: I.	23.	
451	5 Thorismūd: II.	2	
453	6 Theodoric: II.	13	
466	7 Evaricus.	18	Pellūtur ex Hispania Romanorum reliquiæ.
484	8 Alaricus.	23	
507	9 Gesalicus.	4	
511	10 Theodor: *III.*	15	
526	11 Amalaricus.	5	
531	12 Theuda.	17	
548	13 Thaudegisius.	1	
549	14 Agila.	5	
554	15 Athanagildus.	13	
567	16 Luiba I.	1	
568	17. Leovigildus,	18	Filium S. Hermenegildum ob fidem occidi jubet.
	Gothi Reges Catholici		
586	18 Recaredus. I.		
601	19 Luiba II.		

603	20. Vittericus.	7	
610	21. Gondemarus.	2	
612	22. Sesibutus.	9	
621	23. Recaredus II.	3. M,	
621	24, Suintilla I.	10	
631	25. Sisenandus.	5	
636	26, Svintilla II.	4	
640	27. Tulca.	2	
642	28. Chindasvinta	7	
649	29. Recisvindus.	23	Rex religiosissimus
672	30 Wamba.	8	
680	31. Ervigius.	8	
687	32. Egica.	15	
701	33 Witiza.	9	
710	34. Rodericus.	3	Mauri occupant Hispaniam 713.
	Reges Austriæ & Legionis.		
717	1, Pelagius.	18	
736	2. Favila.	2	
738	3, Alphonsus I.	19	
757	4. Froila.	11	
768	5. Aurelius.	6	
774	6. Silo.	9	
783	7. Mauregattus,	6	Tyrannus is fuit.
789	8. Veremundus I.	2	Pariter Tyrannus.
791	9, Alphonsus II,	33	
824	10. Ramirus. I.	26	
850	11. Ordonius I.	12	
862	12, Alphonsus III	48	Incipiunt Reges Navarræ. 882.
910	13, Gartias	3	
913	14. Ordonius II.	9	
923	15, Froila II	1	
924	16, Alphonsus IV.	6	Incipiunt Comites
931	17. Ramirus II.	19	Castiliæ 930.
950	18. Ordonius III.	5	
955	19. Ordonius IV.	1	

956	20 Sanctius I.	12.	
967	21 Ramirus III.	15.	
982	22 Veremund. II.	17.	
999	23 Alphonsus V.	28.	
1027	24 Veremũd: III.	10	Occiditur à Ferdinãdo Comite Castiliæ, qui succedit.
	Reges Cr\[a\]stiliæ.		
1035	1. Ferdinandus I.	30	Incipit Regnũ Arragoniæ 1035.
1065	2. Sanctius II	7	
1072	3. Alphonsus VI.	37	Mauris Toletanam urbem eripit.
1109	4 Alphons9 VII.	13	Adfuit præliis omnino 50.
1122	5 Alphons: VIII	35	
1157	6 Sanctius III.	1.	Ferdinandus II. Rex.
1158	7 Alphonsus IX.	55.	Legionis Solius, Alphõsi VIII filius regnat simul cum Sanctio.
1214	8 Henricus I.	3.	
1217	9 Alphonsus X,	9.	
1226	10 S. Ferdin: III.	25.	Sanctorũ Catalogo adscriptus. contra Mauros sæpius Victor Dictus Astrologus. & sapiens. electus Imperator.
1252	11 Alphonsus XI.	32.	
1284	12 Sanctius IV.	11.	
1295	13 Ferdinan: IV.	17.	
1312	14. Alphons: XII.	38.	
1350	15. Petrus.	17.	Dictus crudelis.
1369	16. Henricus II.	10.	
1379	17. Joannes I,	11,	
1390	18 Henricus III.	16.	Dictus Valetudinar.
1406	19 Joannes II.	48.	
1454	20 Henricus IV.	20.	
1474	21 Ferdinand: V.	31.	Dictus Catholicus ob Mauros plenè fugat. 1492 Ex Arragoniæ Rege Hispaniæ Monar. S. Inquisitio inducta. America invẽta 1492.

	E Domo Austriaca Hispaniæ Reges.		
1504	22 Philippus I.	12	
1516	23 Carolus I.	42	Inter Cæsares V.
1558	24 Philippus II.	40	Batavi abHispanis divulsi; Lusitā æ:adjūcti.
1598	25 Philippus III.	23	Judæi 900000. ex Hispanis pulsi.
1621	26 Philippus IV.	44	Lusitani iterum saparati 1640.
1665	27 Carolus II.	35	
	Ex Domo Borbonica.		
1700	28 Philippus V.		
1723	29 Ludovicus I,		
1724	30 denuo Phil V:		

FRANCIÆ REGES.

Cæptū Regnū	E prima stirpe Merovingorum.	Anni Regni	Synchronismg evētuum memorabiliū.
420	1 Pharamundus.	8	Burgudiæ RegnumAn. 408. cœptū Franciæ Regno junctū An. 534,
429	2 Clodio.	20	
448	3 Meroveus.	10	
458	4 Childericus I.	24	
482	5 Clodoveus I.	29	Cæsis prodigiosè Germanis A 496 amplectitur Christi fidem,
511	6 Childebertg I.	49	
560	7 Clotarius I.	2	*An:* 511 Initium *Regni* Austrasiæ,
562	8 Cherebertus	9	
571	9 Chilpericus I.	22	
584	10 Clotarius II.	45	
629	11. Dagobertus I.	15	
644	12 Clodoveus II.	17	A Clodoveo *II.* Reges undecem otio & voluptatibus toti se dedunt,
660	13 Clotarius III.	4	
664	14 Theodoric: I.	0	In Monast. detrusus.
664	15 Childericus II.	3	

667	Theodor: *iteram.*	23	
690	16 Clodoveus III	4	
694	17 Childebert. II	17	
711.	18 Dagobert II	5	
716	19 Clotarius IV,	0	
716	20 Chilperic: II	5	
720	21 Theodoric: II.	15	
735	*Anarchia,*	7	An. 742. natus Ingelhemii Carolus M.
742	22 Childeric III	10	Attonsus in Monachū: eligitur Pipinus Caroli M: Pater.
	Reges Carolingi,		
752	23 Pipinus.	17	*An.* 756. adstitit Papæ contra Aistulphū Longobardum Regem.
768	24 Carolus M.	47	Imperator corônatus An, 800.
814	25 Ludovic Pius	26	
840	26 Carol. Calv.	38	
877	27 *Ludov.* Balb:	2	
879	28 Lud, & Carol-	5	
885	29 Carol: Craff.	3	
888	30 Odo.	10	Regni Burgundici secudi initium 888.
898	31 Car l. simpl.	25	Initium Regni Arelatensis.
923	32 Rudolphus.	13	
936	33 Lud, Trāsm.	18	Finis Regni Arelaten:
954	34 Lotharius.	32	
986	35. Lud. V. Iners,	1	Distractæ Galliarum Provinciæ.
	Reges Capeting		
987	36 Hugo Capet 9		
996	37 Robertus.	36	Secundi Regni Burgundiæ finis 1033,
1033	38 Henricus.	28	Normāni Saracenos
1060	39 Philippus.	48	pellunt è Sicil. A. 1083.,
1108	40 Ludov: VI,	29	Crassus. 113

1137	41 Ludovicus VII	44	Conjunctæ iterum Provinciæ.
1180	42 Philippus II.	43	
1223	43 Ludov: VIII.	3	
1226	44 Ludov. IX.	44	
1270	45 Philipp. III.	15	
1285	46 Philipp: IV.	30	Pulcher. Deletus Templar. Ord. An: 1307.
1315	47 Ludovic: X.	1	
1316	48 Philippus V.	5	Longus.
1322	49 Carolus IV.	6	Pulcher.
	Ex domo Vallesia-		
1328	50 Philippus VI.	23	Initiū lineæ lateralis Valesiorum.
1360	41 Joannes I.	13	Bella cum Anglis
1364	52 Carolus V.	17	Sapiens.
1380	53 Carolus VI	42	
1422	54 Carolus VII	39	An. 1420. Galliæ liberatrix Joanna de Arc: puella Aurel.
1461	55 Ludovicus XI.	21	
1483	46 Carolus VIII.	14	
1498	57 Ludovic: XII.	17	
1515	58 Franciscus I.	32	Bella gerit cum Carolo V.
1547	59 Henricus II.	12	
1559	60 Franciscus II.	1	
1560	61 Carolus IX	13	Clades Hugonottor.
1547	62 Henricus III.	15	Cultrô occisus
	Ex Domo Borbonica.		
1589	63 Henricus IV.	21	
1610	64 Ludovic XIII	32	Svecorum adversus Germaniam adjutor.
1643	65 Ludov. XIV.	72	Pulsi è Gallia Hæretici An. 1685.
1715	66 Ludov: XV.		

REGES ITALIÆ.

Cæptū Regnū	Reges Ostrogothi	Anni Regni	Eventus memorabiles.
476	1 Odoacer,	16	Herulorum Rex 493.

493	2 Theodoricus.	33	Boëtium & Symmacham necat.
526	3 Athalaricus.	8	
534	4 Theodatus.	2	
536	5 Vitiges.	4	
540	6 Theodobaldus.	1	
541	7 Araricus.	M. 3.	
541	8 Totila.	10	
552	9 Tejas.	1	Narses advocat Longobardos.
	Reges Longobardi.		
568	1 Alboinus.	3	Initiũ Exerchat9 568.
572	2. Clepho	1	
	Anárchia.	12	
585	3. Antharius.	5	
590	4 Agilulphus.	25	Suasu Theodelindæ Bavaræ Conjugis Christum sequitur 604.
616	5. Adelvaldus.	10	
626	6. Ariovaldus.	12	
638	7. Rotharis	16	Arianis favet.
654	8. Rodoaldus.	5	
659	9 Aripertus. I.	3	
662	10. Gundipert. & Bethard9 Fratr:	1	Pulsi à Grimoaldo Beneventi Præfecto.
663	11. Grimoaldus.	9	
673	12. Garibaldus.	M. 3.	
673	13. Bertharitus.	17	Divinit9 revocatur ad solium Princeps piissimus.
691	14. Cunipertus.	12.	
704	15. Luitpertus	M. 8.	
704	16 Ragumpertus	M. 3.	
704	17. Aripertus II.	8.	
712	18. Asprandus.	M. 3.	
712	19 Luitprandus.	31.	Magna pecuniæ vi redemit à Saracenis corpus D. Augustini, ac Ticinium transfert
744	20. Hildebrand9.	M. 7	
744	21. Rachis.	6	

750

750	22. Aistulphus.	5	Finis Exarchatus Anno 752. quem Pipin9 donat Ecclesiæ.
756	23. Desiderius. *Successit Carol9 M. & Imperarores cæteri Romano Germanici Reges Siciliæ & Neapolis.*	18	Victus à Carolo M. Anno 774.
1129	1. Rogericus III.	23	Comites ac *Duces* è Normannorum Gente
1152	2. Gvilielmus I.	14	
1166	3. Gvilielmus II.	32	ab A. 1083. præerant
1189	4. Tancredus.	3	
1192	5. Henricus VI.	5	Imper: per Constātiā.
1197	6. Fridericus II.	53	Imp. | RogeriiIII. filia
1250	7. Conradus V,	4	Imp: | Rex *Siciliæ.*
1254	8. Manfredus.	11	
1265	9. Conradinus.		Ultimus Sveviæ Dux capite plexus Neapol. 1268. à Carol: Andevag,
			Reges Sicilliæ & Arragoniæ.
	Reges ex Domo Andegavensis.		
1626	1 Carolus.	19	1282. Petrus III. Arragonum Rex ob Constantiā Manfredi filiā Sicilia potitur post vesperas Siculas regnat.
	Reges solius Regni Neapolitani.		
1285	2. Carolus II.	23	Ann. - 4.
1309	3. Robertus.	33	1286. Jacobus I 41.
1343	4. Joanna I.	39	1327 Fridericus II. 1
	Ex alia linea Andegavensi.		1328. Petrus. 15
1382	5. Ludovicus I.	0	1342. Ludovicus 12.
1382	6. Carol9 III. Dyrrachinus:	4	1355. Frideric9 III. 13
			1368. Maria. 24.
	7. Ladislaus.	28	1402. Martinus I. 7-

1414	8 Joanna II.	0	1409 Martinus II. 1.
1414	9 Ludovicus II	3	1410 Blanca, - - 2.
1417	10 Ludovic9 III	16	1412 Ferdinandus 4.
1434	11 Renatus	43	1416 Alphonsus V. 42
1480	12 Carolus IV.	2	1458 Joannes 21.
1481	13 Ludovicus XI Rex Galliæ	11	1479 Ferdin: V. Catholicus. 36.
1494	14 Carolus VIII Rex Galliæ	4	
	Reges Siciliæ & Neapolis ex Domo Hispanica.		
1503	15 Ferd; V Cath.		
	Ex Domo Hispano Austriaca.		
1515	16 Car: V. Imper	43	
1558	17 Philipp: II.	50	
1598	18 Philippus III.	21	
1621	19 Philippus IV	44	
1665	20 Carolus II.	35	
	Ex Domo Germano Austriaca.		
1700	21 Car. VI Imp,		*Ex Domo Hispano-Borbonica.
1735	22. Carolus I. *		

Duces ac Reges Bohemiæ.

Cæptū Regnū	Duces ac Reges Bohemiæ.	Anni Regni	Eventus memorabile
550	1. Zecchus		
	2. Crocus.		
619	3. Libussa,	13	Urbs Pragens:
632	4. Primislaus	44	
676	5. Nimislaus.	39	
715	6. Mnatas	20	
735	7. Vogenus.	20	

763	8. Wenceslaus I.	22	
785	9. Cremovilius	19	
804	10. Neclamus.	35	
839	11 Ostivizius,	17	Christo primus dat nõen
856	12. Borivorius I.	48	
904	13. Spitigneus I.	2	
906	14. Ladislaus I.	10	Occisus à fratre Boleslao
916	15. S Wencesl: II.	22	
938	16. Boleslaus I.	29	
967	17. Boleslaus II,	32	
999	18. Boleslaus III.	13	
1012	19 Jaromirus.	25	
1037	20 Bretislaus I.	18	
1055	21. Spitigneus II.	6	*Rex* dicitur ab Henri-
1661	22. Ladislaus II	25	co *IV.* Imp.
1086	23. Ladislaus III.	6	
1092	24. Conradus I.	M. 8.	
1092	25 Bretislaus II.	8	
1100	26, Borivorius II	7	
1107	27. Svatoplocus,	2	
1109	28. Ladislaus IV.	16	
1125	29. Sobieslaus I.	15	*Rex* Bohemiæ secundus
1140	30. Ladislaus V.	34	
1174	31 Sobieslaus II	4	
1178	32. Fridericus	12	
1109	33, Conradus II	1	
1192	34. Wencesl: III	1	Episcopus Pragēsis Re-
1193	35. Bretislaus III.	3	gni administrator
1196	36. Ladislaus VI.	0	
	Reges continui.		Dictus etiam Othocarus
1196	37 Primislaus II	32	quia charissimus Otho-
1231	38. Wencesl: IV.	24	IV. Imperat: Pius.
1255	39. Othocarus II	23	Ultimus è stirpe Primi
1278	40. Wencesl. V,	27	slai agricolæ.
1305	41, Wencesl. VI.	1	

.1036

1306	42 Rudolph Aust.	1	Regnum administrāt.
1307	43 Henricus.	3	
	Reges partim è stirpe Luxemburg, partim Austriaci		
1310	1 Joannes.	36	
1346	2 Carolus IV.	32	Imperator.
1378	3 Wencesl: Iners	40	Imperator.
1418	4, Sigismūdus.	18	Imp: Bellū Hussitic.
1436	5 Albertus II.	3	Imperator.
1440	6 Ladislaus VII.	18	Filius Alberti, dictus posthumus.
1458	7 Geor. Podiebra	13	
1471	8 Ladislaus VIII.	45	
1516	9 Ludovicus.	10	
1526	10 Ferdinand; I.	37	E domo Austriaca deinc omnes Bohemiæ Reges, simulque Imperatores.
1562	11 Maximilianus .I.	12	
1575	12 Rudolphus	37	
1608	13 Mathias.	9	
1617	14 Ferdinand: II.	10	Turbæ Bohemicæ.
1627	15 Ferdinan. III.	19	
1646	16 Ferdinan: IV.	11	
1658	17, Leopoldus.	47	
1705	18 Josephus.	6	
1711	19 Carolus VI.	29	

REGES HUNGARIÆ

Cæptū Regnū	Reges Hungariæ	Anni Regni	Eventus memorabiles.
1000	1. S. Stephanus.	38	Rex Apostolicus dictus quia Christi fidē toto regno promulgavit.
1038	2. Petrus.	4	Regno, pulsus.
1042	3. Ovo.	2	
1044	Petrus restit.	2	

1046	4 Andréas *I.*	15	
1061	5 Bela I.	3	
1063	6 Salomon.	11	
1074	7 Geiſa II.	3	
1077	8 *S:* Ladislaus I.	18	
1095	9 Colomannus	19	
1114	10 Stephan9 *II.*	18	
1132	11. Bela II.	10	
1141	12 Geiſa*III.*	20	
1161	13 Stephanus *III*	12	
1172	14 Ladislaus II.	M. 6.	
1172	15 *Stephang* IV.	M. 5.	
1173	16 Bela *III.*	23	
1195	17 *Emericus.*	8	
1204	18 Ladislag III.	M. 6.	
1205	19 Andreas II.	30	Privileg: Hungarici Auctor.
1235	20 Bela IV.	25.	
1260	21 Stephanus V.	13	
1273	22 Ladislaus IV	18	
1290	23 Andreas III.	11	
1301	24 *Wenceslaus.*	4	Cogitur abdicare ſceptrum.
1305	25 Otho Bavar:	5	
1310	26 Carol: *Rober*	32	
1342	27 Ludovicg M.	40	Zelo *Eccleſiæ* défendendæ inſignis.
1382	28 Maria	1	
1383	29 Carolus.	3	
1387	30 Sigismundus.	51	Imperator.
1438	31 Albert:I. Auſt	2	Imperator.
1440	32 Ladislaus V	4	
1444	33 Joan: Corvin.	8	
1452	34 Ladislaus VI.	26	
1458	35 Mathias Corv.	32	
1490	36 Ladislag VII	26	
1516	37 Ludovic: *II.*	11	

Reges

	Reges è Domo Austr, cōtinui, & Imp:		
1526	38 Ferdinand: I.	38	
1563	39 Maximil: II.	9	
1572	40 Rudolphus II.	36	
1608	41 Mathias.	10	
1618.	42 Ferdinand: II	18	
1637	43 Ferdinand. III	9	
1646	44 Ferdinan: IV.	12	
1658	45 Leopoldus	29	
1683	46 Josephus.	23	
1711	47 Carolus VI-	19	
1741	48 Maria Teressia		

DUCES & REGES POLONIÆ

Cæptū Regnū	Duces & Reges Poloniæ.	Anni Regni	Eventus memorabiles.
550.	Lecchus, & stirpis ejusdem non nulli Duces.		
700	1. Cracus.	0	
700	2. Lechuu I.	50	
750	Venda.		
	Regnum administrant aliquandiu		
760	*12. Palatini*	44	
804	3. Primislaus,	6	
810	4. Lechus II.	5	
815	5. Lechus III.	8	
823	6. Popielus I.	0	
	7. Popielus II.		
	Anarchia		
842	8 Piastus.	19	*Stemma* Piastorum
861	9. Zemoviskus.	31	
892	10. Lecchus IV.	12	
913	11. Zemonislaus.	51	
964	12. Micislaus.	35	Primo Christo dat nōen 996

	REGES.		
909	1. Boleslaus.	25	
1025	2. Micislaus II.	9	
1034	3. Casimirus.	25	
1058	4. Boleslaus II.	23	Interfector S. Stanisl: Episcopi, quare dignitate regia excidit.
	Iterum Duces		
1081	1. Ladislaus.	20	
1102	2. Boleslaus. III.	36	In præliis 50. semper Victor.
1139	3. Ladislaus II.	7	
1146	4. Boleslaus IV.	28	
1174	5. Micislaus.	4	
1177	6. Casimirus II.	17	
1194	7. Lechus V.	33	
1227	8. Boleslaus V.	52	
1279	9. Lecchus VI	10	
	Anarchia.		
1296	10. Ladislaus III.	4.	
1300	11. Wenceslaus.	6	Simul *Bohemiæ* Rex.
1309	Ladisl: iterum.	27	
1333	12. Casimirus III.	37	Piastorum ultimus.
	Restituti Reges		
1370	1. Ludovicus	12	Hungariæ idem Rex.
1386	2. Ladislaus IV.	48	Ante Jagiello Lithvaniæ Dux: à quo initiũ stemmatis Jagellonic:
1434	3, Ladislaus V.	10	
1444	4. Casimirus IV.	48	Sancti Casimiri Pater.
1492	5 Joann Albert:	9	
1501	6. Alexander.	5	
1506	7. Sigismundus.	42	
1548	8. Sigismund. II.	24	
1572	9 Henric: Vales.	*M* 2.	Idem Henric: III. Galliæ Rex.
1576	10 Steph. Bathor:	11	
1587	11 Sigismund. III	45	Idem Sveciæ Rex.
1612	12 Ladislaus VI.	15	
1648	13 Joan. Casimir	20	
1669	14 Mich: Koribut	5	

1674	15. Joannes III.	22	Sobiesciorũ è genere,
1698-	16. Augustus II.	34,	Hercules Saxon: dict9.
1734,	17. Augustus III		Elector Saxoniæ

REGES ANGLIÆ.

Cæptũ Regnũ	Collectis in unũ septem Angliæ Regnis.	Anni Regni	Eventus memorabiles.
800.	1. Egbertus.	36	Anglia Sedi Apostolicæ tributaria redditur.
837.	2. Ethelvold9	20	
857	3. Ethelbald9	3	
860	4. Ethelbert9.	6	
866	5 Ethelredus,	5	
871	6 Alfredus	29	
900	7 Eduardus	23	
923	8. Adelstans.	17.	AliisEthelranus.
941	9 Edmundus,	5	
946	10. Eldredus	9	Aliis Elfridus.
955	11 Edwinus.	4	
959	12 Edgardus.	16	
975	13 S. Edvard9 II	4	
979	14 Ethelred9 II.	37	
1016.	15 Edmũdus II.	1	Superatur à Danis.
1017	16 Canutus.	19	Simul Daniæ Rex.
1037	17 Heroldus	4	
1040	18 Canutus. II-	2	
1042	19 Alfredus II.	1	Danos iterum ejicit.
1043	20 S. Edvard9 II	23	Contra jusRegnum involat.
1066	21 Heroldus II.	M. 10	
	Reges è Ducibus Normanniæ.		
1066	1. Guilielmus I,	21.	Hæres Regni à S. Edvardo dict9 pellitHeroldum.
1087	2. Guilielm9 II.	13	
1099	3. Robertus.	0	
1100	4. Henricus I.	35	
1135	5. Stephanus.	19	Obiit absque liberis

	Reges è Prosapia Comitum Andegavensium.		
1154	1. Henricus II.	34	Regnū per Matrē obtinet, filiā Henr:I. idē Henric. II Hiberniæ quoque Rex. 1162. S. Thomas Cantuariēsis occiditur. Franciæ Regem se primus dicit.
1189	2. Richardus I.	10	
1199	3. Joannes.	17	
1216	4. Henricus III.	57	
1272	5, Edvardus IV.	34	
1306	6. Edvardus V.	19	
1326	7. Edvardus VI.	51	
1377	8. Richardus II.	22	
1399	9. Henricus IV,	14	
1413	10 Henricus V.	9	
1422	11 Henricus VI.	39	
1461	12 Edvardus VII	22	
1483	13 Edvardus VIII	0	
1483	14. Richardus III	2	
	Reges è Comitibus de Richemond.		
1485	1. Henricus VII.	23	
1509	2. Henricus VIII.	38	Priùs Defensor Fidei, dein auctor Schismatis Anglicani. 1523.
1547	3. Edvardus VI	6	Restituere parabat rem Catholicam.
1553	4 Joanna,	0	
1553	5. Maria.	6	
1558	6. Elisabetha.	44	Ecclesiam persequitur Mariam Stuartam capite plecti jubet 1587.
	Reges è stirpe Stuartorum.		
1603	1. Jacobus	22	3. Regna Scot: Hyber: Angliæ conjunguntur.
1625	2. Carolus I.	23	A subditis capite plexus 1648.

1648		11	(Angus Respublica) annis 11. sub Cromwello, & uno an. sub Richardo ejus filio.
2659		1	
2660	3. Carolus II.	25	
1685	4. Jacobus II.	4	Ob fidem Cathol: è Regno ejectus 1688.
1689	5. Gvil III. Nasso	12	Rex ob Annam Cōjugem Jac 2. filiam.
1702	6, Anna.	11	
1714	7. Georgius I.	12	Elector Brunsvicēsis omisso Jacobo III. ad Regnum vocatus.
1727	8 Georgius II.		

DUCES & REGES PRUSSIÆ

Cæptū Regnū	Duces & Reges Prussiæ.	Anni Regni	Eventus memorabiles.
1525	Albertus.	43	Ord: Teut: Magnus M. ad Luth: deficiscit,
1568	Albert: Frideric	50	Extincta stirpe Alberti
1618	Joan Sigismund	1	ad Elector: Brandenburg: transit Prussia
1619	Georg: Gvilelm	21	A Leopoldo M. Rex dicitur 1701.
1640	Fridericus Gvilie	47	
1688	Fridericus I.	13	
1701	Idem Rex prim:	12	
1713	Fridericus Gvil:	27	
1740	Fridericus II.		

REGES DANIÆ.

Cæptū Regnū	Reges Daniæ	Anni Regni	Eventus memorabiles.
930	1 Heroldus I,	50	Præcessêre alii Reges, quorum tamen incerta successio.
980	2 Suenus I,	34	
1014	3 Canutus II.	21	Angliam quoque & Norvegiam possedit.
1036	4. Canutus III	9	
1045	5. Magnus.	4	
1049	6. Suevus, II.	21	

1074	7. Heroldus II.	2	
1076	8. S. Canutus IV	9	A suis in odium Fidei occisus in Templo A. 1084.
1085	9. Olaus.	10	
1095	10. Ericus III.	7	
1102	11 Heroldus III.	33	
1135	12. Ericus IV.	4	
1139	13. Ericus V.	8	
1147	14. Canutus V.	8	
1155	15. Suenus III.	2	
1157	16 Valdemarus I.	28	
1185	17 Canutus VI.	18	
1202	18 Valdemar: II.	40	
1241	19 Ericus VI.	8	
1250	20. Abel	2	
1252	21. Christopher9.	7	
1259	22 Ericus VII	27	
1286	23 Ericus VIII.	35	
1321	24 Christoph: II.	12	
1333	25. Valdemar: III	43	
1376	26 Aquinus.	37	
1412	27 Ericus IX.	26	Simul Rex Sveciæ
	Anarchia.		
1444	28 Christoph: III	41	Sveciæ Rex;
1448	29 Christianus I.	34	Theodorici Comit Oldenburg: Filius.
1482	30. Joannes.	32	Sveciæ Rex.
1513	31 Christian9 II.	10	Sveciæ Regno depulsus
1523	32 Fridericus I	11	
1534	33 Christian: III.	24	Sectam Lutheri in Daniam invehit.
1559	34 Fridericus II.	29	
1588	35 Christian IV.	60	
1648	36 Fridericus III	22	
1670	37 Christian: V.	19	
1699	38 Fridericus IV.	31	
1730	39 Christian9 VI.		

Cœptū Regnū	Reges Sveciæ	Anni Regni	Eventus memorabiles
1150	1. S. Ericus X.	10	Reges Sveci annis ante Christum 2200. merito sunt suspecti Certum tamen, sæculo *IX*. sub Rege Biorno, tempore Caroli M. prædicatum in Svecia Evangelium.
1160	2. Carolus VII.	8	
1168	3. Canutus.	24	
1192	4. Surcherus III.	18	
1210	5. *Ericus* XI.	8	
1218	6 Joannes I.	4	
1222	7 Ericus XII.	28	
1250	8 *Valdemarus*.	16	
1276	9. Magnus II.	6	
1282	10. Biergrus	43	
1326	11. Magnus III.	10	
1336	12 Albertus.	25	
1361	13. Margaretha	35	Valdemari III. *Daniæ* Regis Filia.
1396	14 Ericus XIII.	42	*Simul* Rex Daniæ.
1438	15. Christophorus.	10	Daniæ *Rex*.
1448	16. Carolus VIII.	10	
1458	17. Christianus I.	12	Daniæ Rex.
1470	18 *Steno* Prorex.	13	
1483	19. Joannes,	30	Daniæ Rex.
1513	20. Christian II.	10	*Ob* Tyrannidem Regno pulsus.
	Reges è stirpe Wasorum.		
1523	21. Gustavus I	37	Lutherum sequitur cum toto Regno.
1560	22. Ericus XIV.	8	
1568	23 Joannes.	24	
1592	24 Sigismundus	7	Ejectus, quia Catholicus.
1599	25. Carolus IX.	12	
1611	26 Gust. Adolph:	22	Miserè vastat Germ.
1633	27 Christina.	21	Regnum ultro dimittit, ut Ecclesiæ Cath: det nomen.
1654	28 Carol: Gustav:	6	
1660	29. Carolus XI.	37	
1697	30. Carolus XII.	21	

1718	31. Ulrica Eleon.		Soror Caroli XII. & Friderici I, Hasso-Câss. Principis Conjûnx. Regnum sit electivum.
1720	32. Fridericus I.		
1744	33. Adolphus Fridericus de Holstein Electus in Successorem		

Duces & Monarchæ *Russici*.

Cæpiū Regnū	Duces & Monarchæ Russici.	Anni Regni	Eventus memorabiles.
988	1 Wolodomirus I.		Christo nomen dat Basilius exinde dictus.
	2 Jaroslaus I.		
	3. Wolodimir: II.		
	4. Wolsevolod: I.		
	5. Wolsevol: II.		
	6. Wolsevol: III		
	7. Wolsevol: IV.		
	8. Wolsevol: V.		
	9. Wolsevol. VI		
	10. Wolsev: VII.		
	11. Wolsev, VIII.		
	12. Wolsev, IX,		
	13. Georgius I.		
	14. Demetrius I.		
1237	15. Georgius II.		
	16. Jaroslaus II.		
	17. Alexander.		
	18 Daniel.		Moscoviæ sedem figit. & Magni Ducis nomen assumit.
	19. Joan. Caleta I.		
	20. Simon.		
	21. Joannes II.		
	22. Demetrius II.		
	23. Basilius II.		
	24. Georgius III.		
	25. Basilius III.		

	26 Joã Basilowicz		
	27 Basilius IV.		
1540	28 Jo. Basilow: II		
1584	29 Feder Iwanow:		
1587	30 Boris Gudeno		
1605	31 Fedor Borissow		
1605	32 Demetrius.		
1606	33 Szuyski Basilo:		
1011	34 Ladislaus.		Sigismundi Poloniæ
1613	35 Mich: Federow	33	Regis Filius
1647	36 Alex: Michalo	16	
1676	37 Fedor Alexiew	6	
1682	38 Joan & Petrus Alexiewizii.	14	
1696	39 Petrus solus.	29	Imp: Russici titulum
1725	40 Catharina.	2	assumit A. 1721.
1727	41 Petrus II.	3	
1730	42 Anna Iwanow:	10	Filia Joã: Frat: Petri I.
1740	43 Joannes		Ex Princ: Brunsvic re-
1741	44 Elisab Petrow:		jectus Anno 1741.
1742	45 Petro Federowicz Successor designatus.		

Orientis Imperatores Græci.

Imperatores Romano Græcos usque ad tempora Caroli Magni Vide Opusc: 2.

Cæptũ Regnũ	Oriẽtis Imperatores Græci:	Anni Regni.	Eventus memorabiles.
802.	1. Nicephorus.	9	
811.	Mich: Curopalat.	2	
813	3. Leo Armenus.	7	
820	4. Mich: II Balb.	9	
829	5. Theophilus.	12	
842	6. Michaël III.	25	Nero & Sardanapalus
867	7. Basili Macedo.	18	sui Sæculi.
886	8. Leo Philosopho	25	

911.

911	9 Alexander.	1	
912	10 Coustãtin VIII	47	Porphyrogenitus.
959	11 Romã Porphyr	4	
963	12 Niceph: Phocas	6	
969	13. Joan Zimisces.	53	B. V. Cultor singu-
975	14 Basil & Cõst. IX	5	laris.
1028	15 Romanus.	8	
1034	16 Mich. Paphlago	M. 4.	
1042	17 Mich: Calaphat	12	
1042	18 Constanti9 X	1	Monomachus.
1054	19 Theodora.		
1055	20 Mich: Stratiora	1	
1057	21 Isacius Cõnen9	2	
1059	22 Cõst. XI. Ducas	7	Multum grassantur Turcæ.
1067	23 Romanus Diogẽ	3	Turcas sæpius vicit.
1071	24 Mich. Ducas.	7	
1078	25 Niceph: II Botõ	3	Attonsus in Monachũ
1081	26 Alexi9 Cõnen9	37	1099. capta Jerosoly-
1118	27 Joan: Cõnen9.	24	ma; stetit ibi Regnum
1143	28 Manuel Cõnen	38	sub Regibus novem
1180	29 Alex: II Cõnen	3	annos 88.
1183	30 Andronicus.	2	Crudelissimis suppli-
1185	31 Isaaci9 Angel9	10	ciis affectus obiit.
1195	32 Alexi9 Angel9	8	*Capta 1204 Constantino-*
1203	Isaacus restitut9	M. 7.	*poli Latini Impp.*
1204	33 Alexi9 Mirtill9	M. 2.	1204 Baldvin Comes
1204	34 Theod: Lascari9	18	Flandriæ. 2.
1222	35 Joannes Ducas.	33	1206 Henricus Fr 10.
1255	36 Theod: junior.	4	1216 Petrus M. 6.
			1216: Robertus. 11.
1259	27 Joannes IV	4	1227. Baldvinus II 34
1262	38 Mich: Paleolog	22	Imperatores Græci in-
1282	39 Andronicus II	42	terea sedebant Adri-
1325	40 Andr: III. Pal.	13	anopoli.
1338	41 Joã: Cãtacuzen	15	1204 Captum ab Ale-
1354	42 Joã: VI. Paleol.	28	xio Comneno Impe

1384	43 AndronicoIV,	3	rium Trapezuntinum eversum 1462 à Mahomete. II.
1387	44 Manuel Paleo.	31	
1418	45 Joã VII Paleol.	27	
1445	46 Constant: XII.	8	Capta Constantinopolis 1453.

Imperatores Turcici.

Cæptũ Rẽgnũ	Imperatores Turcici.	Anni Regni	Eventus memorabiles.
1300	1. Othomanus.	26	
1327	2. Orchanus.	32	
1357	3. Amurathes	31	
1388	4. Bajazethes	14	Sedes Adrianopoli
1402	5. Josue.	2	
1404	6. Solimanus I.	7	
1411	7. Moyses.	3	
1413	8. Mahomeht.	8	(begus
1421	9. AmurathesII.	30	Antagonista Scander-
1451	10 MachometII.	30	Sedes Constantinopoli 1453.
1481	11. Bajazeth II.	31	
1512	12. Selimus I.	8	
1510	13. Solimann: II.	46	Multas in Hungaria urbes expugnat: Rhodum capit.
1566	14. Selimus II.	8	
1574	15. Amurath III.	20	1571. Insula Cyprus capta. Eodẽ an. celebris victoria adg Naupactum.
1595	16. Mahomet III	9	
1604	17. Achmet.	13	
1617	18. Osmanaus.	4	
1621	19. Mustapha.	1	
1623	20 Amorath IV.	17	
1640	21. Ibrahim	8	
1648	22 Mahomet IV.	39	
1687	23. Solimann: III	3	1669 Cretam occupat.
1691	24. Achmet II	5	1683 Obsidio Viennẽsis.
1691	25. Mustapha II	7	
1703	26. Achmet III	27.	Detrusus.
1730	27. Mahomet V.		

SACRI

SACRI ROMANI IMPERII
ELECTORES
Archi-Præsules Moguntini.

1. Willigis9 nat9 patre Caroëtario, à quo primum Rotæ insignia, quib9 ipse adjuuavit W l lis recolas, quis es? & unde venis? Fuit hic primus S. R. Imp: Elector obiitque, Anno Christi 1011,
2. Erckenbold9 ex Abbate Fuldensi, obiit 1020.
3. Aribo ex Palat; Rheni, decessit 1031.
4. B Bardo de Oppresho-fen. ex Abbate Euldensi alter Ch ostomus obiit 1054
5. Luitpold9, obiit 1059.
6. Sigefrid9 I. Baro ab Eppenstein, ex Abbate Fuldensi, obiit 1080.
7. Wezilo, obiit 1088.
8. Ruthardus ex Abbate Erfurdensi obiit 1109.
9. Adalbertus I. Dux Lotharingiæ, obiit 1137,
10. Adalbert9 II. Comes de Sarbrugg" obiit 1141,
11. Marcolphus obiit 1142.
12. Henric9 Felix, obiit 1152
13. Arnold9 de Solenhofen. trucidatus à civibus obiit 1160.
14. Conrad9 Comes de Wittelspbach, jà Cæsare Schismatico dejectus, obiit 1164.
15. Fridericus Friber. Imperat: Cancellarius ab ipso intrusus obiit 1180
16. Cõrad9 revocatur, moritur 1205.
17. Sigefridus II. Baro ab Eppenstein, obiit 1225.
18. Sigefridus III. Baro ab Eppenstein. prioris nepos obiit 1248.
19. Christianus, obiit 1251.
20. Gerardus Ord: Min: obiit 1260
21. Wernerus Comes de Falckenstein, ob: 1282.
22. Gerardus de Eppẽstein, moritur 1304,
23. Petrus de Achzpalt, obiit 1320.
24. Mathias Comes de Buohegg. ex Abbate Murbacensi, obiit 1328.
25. Henricus III de Virnberg, obiit 1353,
26. Gerlacus Comes de Nassau, obiit 1371.
27. Joannes Comes de Luxenburg, obiit 1383.
28. Adolph9 Comes Nasso

vius mcri

vius, moritur 1388.
29 Conradus II. Comes Weinberg, obiit 1395.
30 Joannes Comes Nassovius, obiit 1419.
31 Conradus III. Comes Rheni, obiit 1434.
32 Theodoricus Baro ab Erpbach, obiit 1454.
33 Detherus Comes ab Isëburg, dejectus 1461.
34 Alphonsus Comes Nassovius, obiit 1475. revocatur Detherus qui obiit 1482.
35 Albertus I. Dux Saxoniæ moritur 1484.
36 Bertholdus Comes de Hennenburg, obiit 1505.
37 Jacobus à Liebenstein, obiit 1508.
38 Uriel à Gemmingen, obiit 1518.
39 Albertus Marchio Brandeburgicus, obiit 1545.
40 Sebastianus ab Heussenstein, obiit 1555.
41 Daniel Brender ab Homberg: 1582.
42 Wolffangus Cammerer de Dalburg: obiit 1601.
43 Joannes Adamus de Bikeken, moritur 1604.
44 Joannes Suicardus de Cronberg: obiit 1626. 17 Septembris.
45 Georg: Frider: Greiffenclau, obiit 1629. 6. Julii
46 Anselmus Casim: Wambolt ab Umstat ob: 1647
47 Joannes Philip: à Schonborn. Episcopus Herbipolens, obiit 1673
48 Lotharius Fridericus à Metternich, obiit 1675
49 Damianus Harthardus à Petra obiit 1678.
50 Carolus Henricus à Metternich, electus & mortuus 1679.
51 Franciscus Anselmus ab Ingelheim, obiit 1695.
52 Lotharius Franciscus à Schônborn, Episcopus Bambergensis, electus 1694 3. Septembr: obiit 1729.
53 Franciscus Carolus Lud Palatin: Rhen Episcopus Breslavien: successit 1729. obiit 1732.
54 Philip: Carolus de Eltz Electus 1732 obiit 1743
55 Joannes Fridericus de Ostein Electus 1743

S. R. I. Electores Trevirenses.

1. Elector fuit Ludolphus è Ducib, Saxon; ob: 998.
2. Adalbertus Germanus S. Kunegundis Imperat.

3. Mun.

3. Mingvardus, sive Megingotus cularuit 1008.
4. S. Poppo filius Leopoldi Austriæ Marchi obiit 1017.
5. Eberhardus Comes Palatin: obiit 1065.
6. Chuno, sive Conradus cæsus ab impiis 1066.
7. Udo, Comes Nellenburgius moritur 1077.
8. Ado, quem nonnulli eundem cum superiore volunt, obiit 1079.
9. Engelbertus obiit 1101.
10 Bruno obiit 1123.
11 Godefridus obiit 1130.
12 Meginherus.
13 Adalbertus elect9 1132.
14 Hillinus seu Hilig 1154.
15 Arnoldus obiit 1189
16 Joannes obiit 1213.
17 Theodericus Comes de wied, obiit 1242.
18 Arnoldus II. obiit 1259.
19 Henricus II de Vinstingen obiit 1286.
20 Boemundus à Vosporg. obiit 1299.
21 Detherus Comes de Nassau Ord. Præd: obiit 1307
22 Baldvinus Comes Lucẽburgius. Henr: VIII. frater obiit 1354.
23 Boemundus Comes de Sarbrulch, obiit 1368
24 Conradus Comes de Falckenstein, obiit 1388.
25 Wernherus Comes de Königstein, obiit 1418.
26 Otho Comes de Ziegẽhaim, obiit 1430.
27 Rhabanus ab Helmstatt.
28 Jacob. Baro à Sirck, 1436
29 Joan: Marchio Badensis obiit 1505. decrepitus.
30 Jacobus II. Marchio Badensis obiit 1511.
31 Richard9 à Greiffẽclau.
32 Joannes à Metzenhauzen, obiit 1540.
33 Joannes Ludov: ab Hagen, obiit 1547.
34 Joannes Comes ab Isenburge obiit 1556.
35 Joã. de Stain, obiit 1567
36 Jacob ab Eltz, 1599.
37 Lotharius à Metternih. obiit 1623.
38 Philipp: Christophor9 à Sotorn. obiit 1652
39 Carolus Gaspar: à Petra obiit 1676.
40 Joã: Hugo ab Orsbeck. Episcop: Spirens. Elect9 1676. obiit 1710.
41 Carolus Josephus, Episc: Olmucens: & Osnabrug electus 6. Januar. 1711. obiit 4. Decemb: 1715.
42 Francisc9 Lud. Palatin: Rheni Episc: Breslaviẽs: Coadjutor Moguntin. tum elect9 8. Febr: 1716
43 Franciscus Georgi9 de Schoenborn elect: 1729

S. R. I. Electores Colonienses.

1. S. Heribertus obiit An: 1021.
2. Peregrinus obiit 1037.
3. Herman9 Othon.II. ex sorore nepos.
4. S. Anno.
5. Hildulphus, obiit 1084.
6. Sigevinus,
7. Hermanus elect: 1089,
8. Fridericus elect: 1112
9. Bruno, com: Altenæ, elect. 1132.
10. Arnold9 claruit An: 1152
11. Hugo claruit 1158.
12. Arnold: Comes Geldriæ
13. Fridericus Comes Altenæ claruit 1162.
14. Reinoldus Comes à Dalsel. transtulit Mediolano 3. SS. Regum corpora,
15. Philippus ad Heinsberg: 1187.
16. Bruno Comes Alternæ fit mon: 1199.
17. Adolph9 Comes Altenæ & frater Brunonis,
18. Bruno de Segelbach.
19. Theodoricus Comes de Monte 1210.
20. Engelbertus Comes de Monte 1225.
21. Henricus 1232.
22. Conradus obiit 1261.
23. Engelbertus à Falckenburg.
24. Sigefridus de Westelburg 1280.
25. Vicholdu Baro Westphalus. 1299.
26. Henric: de Varenburg.
27. *Walramus* Comes Juliaci. obiit 1349.
28. Wilh: Genap: 1350.
29. Joannes à Varenbourg
30. Adolphus Comes de Marca, obiit 1368.
31. Engelbertus Comes de Marca, obiit 1367.
32. Chuno de Falckenstein
33. Fridericus Comes Somverdensis, obiit 1414.
34. Theodoric9 Comes de Moers, obiit 1642.
35. Rupertus Dux Bavariæ obiit 1479
36. Hermann9 Landgravius Hassiæ, obiit 1508
37. Philippus Comes de *Dhuin.*
38. Hermannus Comes de Wieda exauctorat9 1552
39. Adolph: Comes Schaũburgius, obiit 1556
40. Antoni9 Comes Schaũburgius, Adolphi frater obiit 1559.
41. Joannes Gebhard:
42. Fridericus Comes de Wiedt claruit 1562
43. Salentinus Comes ad Isenburg resignat. 1579
44. Gerhardus Dapifer de waldpurg exauctoratur
45. Ernest9 Dux Bavar: ele-

ctus An. 1583. obit A. 1612.

46 Ferdinandus Dux Bavar. Maximiliani Electoris frater, obiit 1650.

47 Maximilianus Henricus. Dux Bavariæ, obiit 1688.

48 Josephus Clemens, Dux Bavariæ, electus 1688. 19. Julii obiit.

49 Clemens Augustus Maria Dux Bavariæ, electus 1723.

S. R. I. Electores Bohemiæ Reges, Vide superius inter Duces ac Reges Bohemiæ inchoando è Ladislao IV. non interrupta Serie.

S. R. I. Electores Bavarici.

Ex Constitutione Pacis Noviomagensis.

1. Maximilianus, obiit 1651.
2. Ferdinandus Maria, obiit 1679.
3. Maximilianus Emmanuel successit 1680.
4. Carolus Albertus successit 1726. Electus in Imperatorem 1742, obiit 1745.
5. Maximilianus Josephus successit 1745.

S. R. I. Electores Palatini.

1. Sigifridus è Duce Lotharingiæ Mosellanicæ, obiit Anno 1101.
2. Henricus cogn. Hezelo, donatus etiam Bavariæ Ducatu.
3. Henricus Hezolonis filius.
4. Conradus Franconiæ Dux.
5. Conradus Friderici Imp. frater, Dux Sveciæ.
6. Henricus Gvelpho, obiit 1228.
7. Ottho Wittespachius, obiit 1253.
8. Ludovicus Severus, obiit 1294.
9. Rudolphus Filius Ludovici obiit 1319.

10. Adol

10 Adolphus ; Rudolphus frater.
11 Rudolphus Adolphi frater. obiit 1327.
12 Rupertus I, obiit 1386.
13 Rupertus II. Adolphi filius. obiit 1398.
14 Rupertus III. filius 2. postea Imperator.
15 Ludovicus II. Ruperti Imp. filius obiit 1409.
16 Ludovicus III. filius 2. obiit 1451.
17 Philippus Ingenuus filius Ludovici III. obiit 1508.
18 Ludovicus Pacificus Philippi filius. obiit 1544.
19 Fridericus Pius, obiit 1556
20 Ottho Henricus. obiit 1559.
21 Fridericus Simerensis, obiit 1576.
22 Ludovicus Friderici filius obiit 1583.
23 Fridericus IV. filius Ludovici, obiit 1611.
24 Fridericus Rex Bohemiæ, exauctoratus
25 Carolus Ludovicus Friderici Filius, obiit 1685.
26 Philippus Wilhelmus I ex Domo Neoburgica, obiit 1690.
27 Joannes Wilielmus II. ex Domo Neoburgica, obiit 1716.
28 Carolus Philippus Gubernator Tyrolensis ex domo Neoburgica successit 8 Junii. 1716. obiit 1742.
29 Carolus Philippus de Sulczbach successit Anno 1742.

S. R. I. Electores Saxoniæ.

1. Bernardus Germanus Bilingi frater, Dux Angriæ Elect. I. An 998. creatus
2. Bernardus Fr. obiit 1063
3. Ottophus Bernardi II Filius, obiit 1073
4. Magnus obiit. 1106.
5. Lotharius, Comes Querfurtensis post imperat, obiit 1137
6. Henricus Superbus Guelpho ducta unica Lotharii filia Elector, obiit 1163.
7. Henricus Leo, Superbi filius. Incomparabilis heros obiit, 1195.
8. Bernardus Alberti Ursi Electo. Brandebi filius obiit 1212.

9. Al-

9. Albertus I. Bernardi filius, obiit 1260.
10 Albertus II. Alberti filius, obiit 1311.
11. Rudolphus I. Alberti filius, obiit 1356.
12 Rudolph II. obiit 1370.
13 Wenceslaus, Rudolphi frater, obiit 1388.
14 Rudolphus III obiit 1402
15 Albertus III. obiit 1422.
16 Fridericus Bellicosus, primus ex Misnensi linea, electus 1423. obiit 1423.
17 Fridericus Placidus. obiit 1464.
18 Frid: Sapiens, obiit 1480
19 Joannes fr. obiit 5532.
20 Joan: Frid: à Carolo V. exauctoratur 1547.
21 Mauritius, obiit 1553.
22 Augustinus obiit 1586.
23 Christianus I. obiit 1591
24 Christianus II. obiit 1611.
25 Joannes Georgius fratri successit, obiit 1694.
26 Fridericus Augustus frater: successit. 1694 Rex Poloniæ electus, 1697.
27 Fridericus Augustus III Patri successit 1733, Rex Polon: Electus 1733

S. R. I. Electores Brandeburgici.

1. Hugo Comes Wethinensis, obiit Anno 1001.
2. Theodoricus, ex fratre nepos, pulsus ab Obonitis, Obiit 1009.
3. Sigifridus. Marchio Stadensis.
4 Ottho Sigifridi frater, obiit 1085.
5. Ottho Junior. prioris filius.
6. Rudolphus. Frater Otthonis:
7. Rudolphus II. Filius I.
8. Albertus, Ursus, Comes Ascaniæ, obiit 1169.
9. Ottho Alberti filius obiit 1198.
10 Ottho II. primi filius, obiit 1206.
11 Albertus, Otthonis frater. 1228.
12 Joannes I. obiit 1266.
13 Ottho III. frat: Joannis obiit 1267.
14 Joannes II. primi frater obiit 1283.
15 Ottho IV. Joannis II. frater, obiit. 1298.
16 Conradus I. Joannis filius, obiit 1304.
17 Joan. III. Cōradi filius.

18 Waldemarus I. Joannis frater.
19 Waldemarus II. primi nepos.
20 Joannes IV. obiit 1321.
21 Ludovicus Bojus Lud: IV. Imp: filiꝰ, obiit 1361
22 Ludovicus II. obiit 1369
23 OtthoLud: fr. obiit 1379
24 Carolus IV. post Imp.
25 SigismundusCaroli filius, postea Imperator.
26 Jodocus Morauiæ Marchio.
27 Fridericus Burggravius Norimberg. obiit 1440.
28 Fridericus II. Filius I. obiit 1470.
29 Albertus, dictꝰ Achilles Germanus obiit 1486.
30 Joannes II. Alberti filius, obiit 1499.
31 Ioachim, Ioannis filius, obiit 1535.
32 Ioachim II. obiit 1571
33 Ioannes Georgius, obiit 1598.
34 Ioachim Fridericus obiit 1608.
35 Ioan: Sigismundus, obiit. 1619.
36 Georgiꝰ Wilhelmus, obiit 1640.
37 Fridericus Wilhelmus, obiit 1688,
38 Fridericꝰ III. succeffit. 1688. Annô 1701. fit RexBorussiæ obiit 1713
39 Fridericus Wilhelmus obiit 1740.
40 Fridericus Carolus successit. 1740.

S. R. I. Electores Hannoverani Brunswigo-Luneburgenses.

1. Ernestus Augustus Electoratu nono solemniter dignatus Anno 1692 9 Decembris, obiit Anno 1698 3. Februarii.
2. Georgius Ludovicꝰ successit, Anno 1698. obiit 1726.
3. Georgius Augustus successit 1726.

RUDIMENTA
GEOGRAPHICA
SIVE
Brevis, facilisque Methodus
Juventutem Orthodoxam notitiâ
Geographica imbuendi;
Pro
Gymnaſiis Societatis JESU:
AUTHORE
Ejusdem Societatis Sacerdote.

OPUSCULUM
QUARTUM.

Juxtà Exemplar Vratisl. & Brunsbergenſe
cum auctuario.

CALISSII,
Typis S. R. M. Coll. Soc. JESU. Aô. 1753.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS.

PRÆFATIO.

CUm Geographia alter Historiæ sit oculus; nec parùm lucis afferat Pòësi, quarùm hoc opusculum Geographicum eorum potissimùm usui destinandum censuimus, qui in Gymnasiis nostris quartæ Classi sunt adscripti, ac proinde historiæ simul ac Pòëticæ peculiarem dant operam. Equidem haud desunt, hoc præsertim tam eruditô sæculô, Libri, & institutiones Geographicæ omnibûs sanè numeris absolutæ. Verùm ob id ipsùm ad tyronum captum minùs sunt accomodatæ. In prima tamen Opusculi hujus parte Quæstiones quasdam Mathematicas de Geographia præmittendas duximus; non ut in iis enodandis accuratiúsq; excutiendis multum laboris ac temporis ponant Discipuli; sed ut rudi saltèm rerum istarum notitia imbuti, quæ in altera ejusdem Opusculi parte proponuntur, faciliùs possint comprehendere. Plurima porrò hìc prætermittuntur, quæ alii Geographi fusè recensent, nè Pòëseos tyrones, pluribûs alioquin occupationibûs scholasticis distenti, nimia rerum mole obruantur. Unde quod aliàs semel atquè iterum præfati sumus, hìc denuô juvat repetere: nimirum Opuscula hæc nostra omnia nil nisi Rudimenta, ac Progymnasmata quædam esse, quibus Juventutem nostram Gymnasticam ad decretoria Academicorum certamina præparamus, atque instruimus. In Opusculo hoc, prout & in præcedenti tertio Opusculo, illa, quæ fusiùs in gratiam Germanicæ Juventutis sunt proposita, prætermittuntur, sexto Opusculô inserenda. Quorum in locum aliquantò uberior Regni Poloniæ descriptio ponitur Geographica, desumpta ex celebri inter scriptores Poloniæ Authore, Simone Starowolski, sed in compendium redacta. Appendix quoquè de arte scutaria prætermittitur, cujus vicem subit appendix de Insignibus Episcopatuum ac Provinciarum Poloniæ & M. D. L. Item de stemmatibus variorum extraneorum Regnorum & Provinciarum, desumpta ex libello edito Varsaviæ sub titulo: Flos Regnorum, seu compendiosa Poloniæ orbisque totius descriptio.

Rudimenta Geographica.

PARS I.

De Globo.

CAPUT I.

De Globo ejúsque partibus generatim.

1. Quid est Geographia?

Geographia à Græco: *Ge*, id est *terra*, & *Grapho*, seu *scribo* nomen trahens descriptio terræ est.

2. Ecquod Geographiam inter & Cosmographiam discrimen?

Cosmographia non terram tantùm, sed mundum hunc aspectabilem universum, quidquid nempe cœli terræquè ambitu continetur, describit.

3. Quid est Sphæra armillaris?

Instrumentum est Mathematicum ex variis circulis, armillarum instar artificiosè inter se inflexis, coagmentatum, cœlum simul, terramquè referens.

4. *Quid*

4. *Quid est Globus artificialis?*

Est effigies quædam Globi naturalis, seu terrestris, seu siderei.

5. *Quot circuli primarii in Sphæra æque ac Globo utroquè numerantur?*

Decem, sex nempè maximi, sive majores, & quatuor minores.

6 *Quinam majores sex?*

Æquator, Horizon, Meridianus, Zodiacus, Colurus Æquinoctialis, & Colurus Solstitialis; qui duo tamen ad institutum nostrum minùs sunt scitu necessarii. Omnes hi circuli dividunt Globum in duas partes æquales.

7. *Quinam minores quatuor?*

Duo Tropici, & totidem Polares, qui Globum in duas secant partes inæquales.

8. *Quot gradus circulus quivis complectitur*

Trecentos, & sexaginta.

9. *Quid quadrans est? quid semicirculus & Hemisphærium?*

Quadrans, quarta circuli pars est. Semicirculus, sive Hemicyclus est circulus dimidiatus; Hemisphærium autem dimidium sphæræ.

10. *Quid est centrum?*

Est punctum in sphæra aut circulo medium à quo omnes lineæ ad peripheriam ductæ sunt æquales.

11. *Quid est Diameter, quid Semidiameter?*

Diameter ex græco: *Dia*, id est *per*, & *Meteo* seu: *metior*, est recta quæcunque linea per centrum ducta, & in utraque circuli superficie terminata, cujus dimidium dicitur Semidiameter.

12. *Quid sunt lineæ, & circuli paralleli?*

Qui æquali undìque spatio abs se invicem distant.

13. *Quot sunt circuli paralleli in Globo?*

Quamquam plurimi hujusmodi circuli describi possint; ad confusionem tamen vitandam octoni ab Æquatore ad Polum Arcticum, totidémque ad Antarcticum per denos quosque Meridiani gradus duci solent, ut gradus eò distinctiùs numerari, indéque terræ latitudo dignosci possit.

14 *Cur Globi figura rotunda est?*

Quia terra, quam repræsentat, pariter rotunda est.

15. *Unde verò constat, terram esse rotundam?*

Ex eclipsibus præcipuè lunaribus, ubi terra umbrā rotundam projicit in Lunā, id quod fieri haud posset, nisì terra pariter rotunda esset.

16. *Cur montes præalti nil obstant terræ rotunditati?*

Quia hi, cum toto terrarum orbe comparati, sunt instar arenularum, Globo adhærentiū.

17. *Quid sunt Poli, & Axis mundi?*

Cùm corpora cœlestia motu continuo, & velocissimo ab Oriente in Occidentē quatuor & viginti horarum spatio circumagantur, necessariò meridiem, ac septentrionem versùs, duo debent esse puncta immobilia, in quibus tanquā cardinibus cæli machina circumvolvatur. Hæc puncta sive cardines vocantur Poli à Græco: *Poleo*, id est verto Linea porrò ab uno Polo ad alterū imaginatione nostra per

terræ

terræ centrum traducta, vocatur *Axis mundi*; ſicut enim rota circum axem, ità cœlum circũ lineam illam imaginariam vertitur, rotatúrque, terrâ ſemper manente immotâ.

18. Quot ſunt Poli?

Duo, Arcticus à Græco: *Arctos* ſeu *urſa*, ſive Borealis, & Ant-arcticus, ſive Auſtralis. Ille ſemper ſupra, hic ſemper infra noſtrum Horizontem fixus hæret.

CAPUT II.

De Æquatore, & Zodiaco.

1. Quid eſt Æquator?

Eſt circulus maximus, ab utroque Polo æqualiter, hoc eſt: gradibûs nonagenîs diſtans, Globumque in duo hemiſphæria, Boreale, & Auſtrale dividens. Dicitur quoque *Æquinoctialis*, quia Sole Æquatorem attingente, dies noctibus ſunt æquales. Hunc naturæ *lineam* appellant.

2. Quid eſt Zodiacus?

Zodiacus à Græco: *Zodion*, ſeu *animal*, eſt latus ille circulus in Sphæra, ex obliquo bis interſecans Æquatorem, à quo ex una parte Septentrionem versùs uſque ad Tropicum Cancri, ex altera versùs meridiem uſque ad Tropicum Capricorni declinat.

3. Quid eſt Ecliptica?

Eſt circulus per medium Zodiacum ductus, qui etiam *orbita*, ſeu via Solis dicitur, quia per hunc Sol quotidie uno propè gradu ab Occidente Oriente versùs progreditur, donec du-

odecem Zodiaci signa peragrando cursum annuum trecentis sexaginta quinque diebus,& sex ferme horis absolvet. Ecliptica porrò dicitur à Græco: *Ekleipeo*, seu *deficio*, quia in hac fiunt eclipses Solis, & Lunæ, quoties in eadem sibi vel occurrunt, vel opponuntur.

4. *Quænam duodecem illa signa?*

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Priora sex dicuntur Borealia, posteriora Australia. Ex his signa verna sunt: Aries, Taurus, & Gemini. Æstiva Cancer, Leo, & Virgo. Autumnalia: Libra, Scorpius, & Arcitenens Hyemalia: Caper, Amphora, & Pisces.

5. *Cur Zodiacus in Globo quoque terrestri describitur?*

Tametsi & hic, & alii circuli in cœlesti potiùs Globo mente & cogitatione nostra describi soleant; tamen terrestri quoque Globo respondent. Ac Zodiacus quidem hyemis, æstatísque vicissitudines, dierum ac noctium incrementa, aut decrementa, itèm ubi, quo, quantóq; tempore Sol quorundam populorum vertici recta incumbat, ob oculos ponit, &c.

CAPUT III.
De Meridiano.

1. *Quid est Meridianus?*

Est circulus maximus, qui per utrúmq; Polum transiens, Æquatorē ex transverso intersecat,

secat, orbémque in duo hemisphæria, Orientale nempe, & occidentale æqualiter dividit. Dicitur Meridianus, quòd Sol diurno motu ab ortu in occasum tendens, ùt primùm attigerit hunc circulum, omnibus sub eodem Meridiano Boream, vel Austrum versùs positis, meridiem afferat.

1. Qua ratione, & cur Meridianus mutabilis est?

Licèt in Globo æneus ille circulus perstet immobilis; tamen si Globus vel tantillùm Ortum, aut Occasum versùs moveatur, alius continuò erit Meridianus, ut proinde, quot in Æquatore puncta, tot possint esse Meridiani, quorum omnium vices obit immobilis ille circulus.

3. Quot Meridiano Globo inscribi solent?

Sex & triginta per denos quosque Æquatoris gradus ducuntur, quorum unus dicitur *Meridianus primus*: quia ab hoc initium fit numerandi gradus longitudinis, ab Occidente Orientem versùs. Hunc alii per insulas Azores, alii per Hesperides, sive Promontorii viridis, alii per Insulas Canarias, Tenerifam, Palmam, vel Ferri &c. dicunt.

4. Quid est Circulus horarius in Sphæra, vel Globo?

Est parvus ille circulus Meridiano infixus, inque horas bis duodenas distributus cum indice mobili, qui si rite aptetur, monstrat, quota ubique terrarum sit hora.

CAPUT IV.
De Horizonte.

Quid est Horizon?

Horizon à Græco: *Orizo*, seu *definio, termino*, est circulus maximus, universam mundi sphæram ità dividens, ut alterum hemisphærium super terram exstet, alterum sub terra condatur. Et hunc in Globo exhibet latus ille circulus ligneus, totum Globum ambiens, cui inscribi solent 32. Venti, ac proinde omnes Plagæ mundi: itèm Calendarium Romanum, & 12. signa cælestia, in tricenos singula gradus distributa, ut indè inquiri possit, quoto in gradu cujusq; signi Sol qualibet die assignata consistat.

2. *Quod præcipuum Horizontis officium?*

Ortum, & Occasum Solis, ac proinde dierũ, & noctium quantitatem, & varietatẽ ostendit.

3. *Quid nominis est Zenith, & Nadir?*

Zenith nomen Arabicum, Latinis est cœli punctum, cujusque vertici recta incumbens. Nadir contrà est punctum è diametro oppositum, Antipodum cervicibus imminens. Illud vocari quoquè solet *punctum verticale*, hoc punctum *pedale*.

4. *Cur Horizon circulus est mutabilis?*

Sicut Meridianus æneus omnium Meridianorum, ità Horizon ligneus in Globo vicem supplet omnium Horizontium, qui ad minimã loci mutationem pariter mutantur, non quidam physicè, & ad oculum, sed mathematicè,

&

& ſecundùm rationẽ. Unde duplex eſt Horizon, ſenſibilis ſive apparens, & intelligibilis ſive verus. Prior eſt omnis ille terræ, cœlíque tractus, qui in patenti campo undíque in oculos incurrit, ità ut cœlum terræ circumcirca adhærere videatur. Poſterior eſt circulus ille maximus, qui imaginatione noſtra per centrum terræ tranſiens totam mundi ſphæram in duo hemiſphæria ſuperiùs, & inferiùs dividit

CAPUT V.

De Tropicis

1 Quid ſunt Tropici?

Sunt circuli minores, ab Æquatore tres & viginti gradus cum 30 minutis diſtantes, ultra quos Sol nunquam progreditur; ſed ùt primùm illuc pervenerit, mox curſum ſiſtens retrorſum ſe convertit; quamobrem Tropici, à Græco verbo *Trepo*, ſeu: *verto* vocantur.

2 Quot ſunt Tropici?

Duo: Tropicus nempe Cancri ſive æſtivus, & Tropicus Capricorni ſive hybernus.

3. Quid curſus Solis annuus?

Ineunte vere, annóque Aſtronomico, trium menſium ſpatio ab Æquatore Septentrionem versùs Sol progreditur ad Tropicum Cancri, ab hoc totidem menſibus regreditur ad Æquatorem, indéque tertio trimeſtri Auſtrum versùs ad Tropicum Capricorni, à quo quarto trimeſtri revertitur ad Æquatorem & principium Arietis,

CACUT VI.
De circulis Polaribus.

1. Quid sunt Circuli Polares?

Sunt duo: circuli minores, tribus & viginti gradibus, & 30. minutis à suo quisque Polo distantes, quorum alter, qui Polum Arcticum ambit, arcticus sive Borealis, alter verò quia Polo Arctico opponitur, Antarcticus sive Australis appellatur.

2 Num hi, aliique circuli à nobis descripti re ipsa in cœlo terrave inveniuntur?

Minimè, sed solâ ratione, & imaginatione eos concipimus.

3. Quem in finem iidem fuêre excogitati?

Ut eorum adminiculô Globi partitionem faciliùs animô concipere possimus, & comprehendere.

CAPUT VII.
De quatuor mundi Cardinibus sive plagis.

1. Quænam quatuor plagæ, seu cardines mundi?

Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies, quas omnes Æquator, & Meridianus in Horizonte designat, Oriens quoque dextra, & Occidens læva mundi plaga à Geographis appellatur.

2. Quæ plagæ intermediæ?

Hæ quaternis illis plagis cardinalibus interjacent, suntque universim duodetriginta, è

qui-

quibus itidem quatuor præcipuè attendi debent: Oriens nempe & Occidens æstivus, ubi Sol in Solstitio æstivo oritur, & occidit. Oriens itèm & Occidens hyemalis, ubi Sol in Solstitio hyemali oritur, & occidit. Omnibus his plagis respondent venti, quorum quatuor Cardinales & 28. intermedii, universim 32. numerantur.

CAPUT VIII.

De longitudine, & latitudine locorum.

1. Quid est latitudo loci?

Est distantia loci ab Æquatore versùs Polum Arcticum, vel Antarcticum. Illa Borealis, hæc Australis est latitudo.

2. Quid est longitudo locis?

Est distantia cujusquè loci à primo Meridiano ortum versùs usquè ad Meridianum loci.

3. Unde initium ducitur numerandi gradus latitudinis, & longitudinis?

1. Gradus Latitudinis numeramus in Meridiano, incipiendo ab Æquatore Polum versùs. 2. Gradus Longitudinis numeramus in Æquatore, incipiendo à primo Meridiano, & ab Occidente orientem versùs progrediendo.

4. Undenam appellatio Latitudinis, & Longitudinis?

Licèt Globus per se nec Latitudinem habeat, nec Longitudinem, quia tamen spatium terræ nobis cognitæ occasum inter & ortum à Lusitania per Europam, & Asiam ultra Sinas

proten-

protensum longius est, quàm alterum ab ultimis Sueciæ finibus usque ad extr mam Africæ oram meridiem versùs porrectum, ideo illud *Longitudinem*, hoc verò *Latitudinem* appellabant veteres.

5. Quid est elevatio, sive altitudo Poli?

Est Poli ab Horizonte distantia, quæ semper latitudini loci æqualis est; nam quot gradibus vertex loci ab Æquatore, totidem Polus ab Horizonte distat

6. Quæ Poli altitudo sub Æquatore habitantibus? Et quid est sphæra recta?

Illis nulla esse potest Poli altitudo, cùm uterque Polus Horizonti incumbat, ac proinde neuter attolatur. Atque hic situs Globi sphæra rectâ appellatur, quando nempe uterque Polus Horizonti, & Æquator vertici incumbit.

7. Quàm Poli altitudinem haberent, si qui sub Polis ipsis habitarent? Et quid est Spæhrâ parallela?

His summa esset altitudo Poli, utpote qui rectà vertici immineret; Æquator autem, & horizon ibi concurrerent, essentque paralleli, ac proinde & Sphæra parallela.

8 Quam demum Poli altitudinem habent, qui neque sub Polo, neque sub Æquatore, sed utrique oblique interjacent? Et quid est Sphæra obliqua?

His alia atque alia est Poli altitudo, prout nempe à Polo minùs, magisque sunt remoti. Quò propinquior autem regio quædam Polo est, eò major ibi est altitudo Poli Omnis porrò hic Globi situs Sphæra obliqua dicitur.

CAPUT IX.

De Zonis.

1. *Quid sunt Zonæ?*

Sunt spatia quædam, seu circuli lati Æquatori paralleli, inter 2. Tropicos, & Polares circulos comprehensi, quibûs veluti cingulîs, & fasciîs totus Globus terrestris circumdatur, & cingitur.

2. *Quot sunt Zonæ?*

Quinque à Geographis numerantur. Duæ frigidæ, Septentrionalis, & Australis. Duæ temperatæ, itidem Septentrionalis, & Australis, & una torrida.

3. *Quæ sunt Zonæ frigidæ?*

Quæ inter circulos Polares, & Polos ipsos locatæ, ob Solis diuturnam absentiam, & remotionem nimiam, im̃odico frigore vexantur.

4. *Quæ sunt Zonæ temperatæ?*

Quæ Tropicos inter ac Polares circulos quasi in medio frigus inter & calorem positæ sunt, unde & temperatæ dicuntur.

5. *Quid est Zona torrida?*

Est spatium inter duos Tropicos comprehensum, & ab Æquatore bifariam divisum, cujus pars, quæ ad Septemtrionem vergit, Torrida Borealis, quæ ad plagam Meridionalem, australis dicitur

6. *Cur vocatur Torrida?*

Quòd continuo Solis, nunquam in Spatium egredientis, ardore quasi torreri, atque idcirco à nemine inhabitari posse olim putabatur.

Verùm

Verùm passim à mortalibus incolitur, longioris temperie noctis, crebrísquè imbribus nimiam calorem mitigantibus.

CAPUT X.

De diversis anni temporibus in diversis Zonis.

1. Quæ anni tempora Zonæ torridæ incolis accidunt?

Qui sub ipso Æquatore habitant, duas quotannis habent æstates, quia Sol bis eorum vertici incumbit, & duas quasi hyemes; quando nempe Sol versùs Tropicos recedit.

2. Quænam anni mutationes in Zonis frigidis?

Hic ob nimiam Solis remotionem perpetua ferè hyems est, frigúsque ingens.

3. Quæ anni, temporúmque vicissitudines accidunt Zonæ temperatæ incolis?

His quatuor sunt anni tempora: Hyems nempe, Ver, Æstas, & Autumnus.

4. In qua Zona continetur Germania?

In Zona temperata Septentrionali.

5. Quando Germanicis in regionibus initium est Hyemis, Veris, Æstatis, & Autumni?

Hyems initium sumit 22. Decembris, quando Sol Tropicum, & signum Capricorni attingit. Ver autem 21. Martii, quando Sol Æquatorem, & punctum Arietis ingreditur. Æstas verò 22. Junii, quando Tropicum & signum Cancri: Autumnus demum 23. Septembris quando Sol ad Æquatorem reversus, signum Libræ subit.

CAPUT XI.

De Climatis.

1. Quid est Clima?

Clima à Græco *Clino*, seu *inclino*, minor Zona, sive terræ spatium est duobus parallelis comprehensum, in quo dies longissimus dimidia semper horâ crescit. Hæc porrò climata ab Æquatore ad circulos Polares gradatim descendunt, ita ut inter parallelum extremum unius, & extremum alterius climatis dies longissima differat semihorâ. Quò propiùs tamen hæc climata ad circulos Polares accedunt, eò sunt contractiora. Nam clima primum & Æquatori proximum gradus 8. & 25. minuta, in Meridiano numeranda; sequentia gradus semper pauciores; postrema verò non nisì minuta aliquot, eáque identidem pauciora latitudine sua continent.

2. Quot sunt Climata?

Quatuor & viginti Septentrionalia, & totidem Australia. Cùm enim ab Æquatore, ubi dies perpetuô est 12. horarum, usque ad circulum Polarem, ubi dies longissimus est 24. horarum, dies crescat horis duodecim sive 24. semihoris, totidem hodierni Geographi numerant climata. A circlo verò Polari ad ipsum usque Polum sex alia climata statui possunt, in quibus differentia non est semihorarum, sed mensium, ut nempe in fine primi climatis dies longissimus sit unius mensis, duorum in secundi, trium in tertii, quatuor in quarati, quinque

in quinti, & in fine sexti, sive ad Polum ipsum sex mensium.

3. Undenam sciri potest, quanto sub climate quilibet locus situs sit?

Supputandæ erunt semihoræ, quibus dies longissimus superat diem Æquinoctialem, sivè 12. horarum: si enim hunc superat semihoris actonis, uti in plerísque Germaniæ nostræ locis, hæc sub octavo sunt climate; si septenis, aut novenis, sub 7. aut ono erunt climate.

CAPUT XII.

De diversis effectib9 cursûs Solaris.

1 Unde dies, & nox oritur?

A Solis vel præsentia, vel absentia. Quamdiu enim Sol supra Horizontem nostrum moratur, dies est; nox verò, quàmdiu infra eundem delitescit.

2. Quantum diei, noctísque spatium sub ipsis Polis?

Dies ibi sex mensium est, hócque elapso, nox semestris ingruit.

3 Undê nam tam loga dies?

Inde, quòd Sol sex mensibus supra Horizontem, qui cum Æquatoré ibi parallelus est, commoretur, perpetuóque in orbem circumiens, sex signa percurrat, donec infra Horizontem sex mensibus latens, noctē semestrem efficiat uti in Sphæra parallela ad oculum patet.

4. Quæ dierum noctiúmque diversitas in Zonis frigidis?

Pro varietate climatum dies ibi longissimus est vel

vel 5. vel 4. vel 3 vel 2. vel unius mensis, ùt suprà dictum est: idémq; est de noctibus, quæ quô longiores sunt, eò dies fiunt breviores.

5. Quàm longa dies, & nox sub Æquatore habitantibus?

His anno toto dies noctibus sunt æquales, sive 12. horarum, uti in Sphæra recta videre licet.

6. Quantum, diei noctisque spatium sub Zonis temperatis?

Varium pro varietate climatum. Sic sub climate vigesimo quarto & ultimo ultra Sueciam dies longissimus est 24. horarum; apud nos verò sub climate octavo dies longissimus est 16. horarum.

7. Cur dies versùs circulos Polares magìs semper, magisque crescunt?

Ob majorem Poli, atque adeò Tropici altitudinem, quem ubi Sol attigerit, longissimum efficit diem.

8. Quid est aurora? quid Crepusculum?

Aurora est prima diei lux ad Orientem ante Solis adventum conspicua, quando Sol decem & octo gradibus ab Horizonte distat; eóque magis augescit, quò Sol Horizonti fit propinquior. Crepusculum verò est lux illa, quæ post Solis occasum conspicua sensim minuitur, donec tandem Sole infra Horizontem decem & octo gradibus depresso, penitùs evanescat.

9. Quinam Ascii, Periscii, Heteroscii, & Amphiscii?

Ità distingui solent terræ incolæ pro diversita-

te umbræ, Græcè: *Skia*, quam tempore meridiano projiciunt. Ascii Græcè: *Askioi*, sive umbrâ carentes sunt, qui nullam habent umbram meridianam. Tales sunt omnes Zonæ torridæ incolæ, quoties Sol verticem eorum transit. Periscii Græcè: *Periskioi* sunt, quorum umbra in orbem spargitur. Tales forent, qui directè sub Polis habitarent, & Sphæram haberent parallelam. Heteroscii Græcè: *Eteroskioi* sunt, qui umbram meridianam semper projiciunt vel versùs Boream, vel versùs Austrum. Tales sunt, qui degunt in Zonis temperatis, vel frigidis extra Polos: nam qui Boreales incolunt Zonas, semper projiciunt umbram versùs Septentrionem, qui verò Australes, versùs meridiem. Amphiscii Græcè: *Amphiskioi* sunt, quorum umbræ meridianæ modò sunt Boreales, modô Australes, prout nempe Sol nunc signa Borealia, nunc Australia percurrit. Tales sunt omnes, qui intrà Zonam torridam, & non sub ipsis Tropicis habitant.

10. *Quinam Periæci, Antœci, & Antipodes?*

Periœci Græcè *Perioikoi*, à Græco: *Peri*, *seu circa* & Græco: *Oikeo*, *seu habito*, sic dicti sunt, qui sub eodem Meridiano, & Parallelo habitant; ità tamen ut in Parallelo unus distet ab altero 180. gradibus, & in Meridiano inter utrumq; medius sit idem Polus. His idem clima, eadem Poli altitudo, eadem anni tempora. At quando uni meridies, alteri media nox est.

Antœci Græcè: *Anteikoi*, quasi contrà habitantes sunt, qui sub eodem quidem Meridiano,

sed

3. Quid sibi volunt diversæ lineæ in Planisphærio descriptæ?

Hæ vices subeunt circulorum in Globo descriptorum, uti sunt Æquator, ejúsque Paralleli, sive Æquatores secundarii 16. per denos quósque Meridiani gradus ducti: Meridianus primus, & secundarii 34. Duo itèm Tropici, & totidem Polares. Æquator ab occasu in Ortum per utrumq; hemisphærium rectæ, sed crassioris instar lineæ extenditur, & in 360. gradus, quorum 180. in uno, totidemque in altero sunt hemisphærio, dividitur, initio facto à primo Meridiano. Meridianus hic ambit utrumq; hemisphærium, ità ut duo appareant Meridiani, qui tamen ità sunt considerandi tanquam in unum coaluissent. Meridiani secundarii sunt lineæ incurvæ intrà Meridiani primarii ambitum per denos quosque Æquatoris gradus ductæ versùs utrumque Polum ubi lineæ hæ omnes concurrunt; si tabulæ sint rotundæ; non itèm si quadratæ. In Planisphærio porrò Parallelos arctiùs in medio conjungi, disjungi verò in extremitate necesse est, id quod in Globo minime accidit.

CAPUT II.

De mappis Geographicis generatim

1. Quid est Chorographia? Quid Topographia?

Chorographia est Regionis (Græcè *Chiora*) descriptio; Topographia verò est peculiaris cujusdam loci (Græcè *Topos*,) v.g. urbis cum circumjacente tractu descriptio.

2. *Quit*

Si desit acus magnetica correcta, aut alia linea meridiana in plano ducta, servire utcunque poterit structura templorum antiquorum in quibus ara summa constructa est ad Orientē.

2. Qua ratione altitudo Poli sive latitudo cujuslibet loci inveniri potest in Globo?

Verte Globum, donec locus, cujus latitudinem inquiris, subjaceat Meridiano æneo, in quò si numeraveris gradus ab Æquatore usq; ad locum datum, habebis latitudinem quæsitam, simulque Poli altitudinem, quæ semper latitudini æqualis est. Unde inventa loci latitudine, attolle totidem gradibus Polum ab Horizonte, locúmque subde Meridiano, & in hoc à Polo Horizontem versùs numera gradus, & habebis altitudinem Poli.

3. Quomodo invenienda longitudo loci?

Locum, cujus longitudinem scire cupis, applica Meridiano æneo Globi: indè in Æquatore numera gradus usque ad primum Meridianum versùs Occasum (vel si à primo Meridiano numerandi initium fit, Ortum versùs) & habebis longitudinem quæsitam.

4. Quo pacto inveniendus loci Horizon, & Meridianus?

Attolle Polum, prout locus datus exigit; tum locum hunc subjice Meridiano, ut Globi verticem occupet, & habebis Horizontem simul, ac Meridianum.

5 Qua ratione possum cognoscere, quota ubivis terrarum quovis tempore sit hora

Locum, quem incolis, colloca sub Meridiano

æneo,

æneo, & indicem horarum applica horæ datæ in tuo loco. Indè ſi ſcire cupis horam in plagis orientalibus, volve Globum ab Oriente versùs Occidentem; versùs Orientem verò, ſi horam quæris in plagis occidentalibus, donec locus, cujus horam indagas, ſubjaceat Meridiano æneo. Tunc enim index horarius monſtrabit horam quæſitam.

PARS II.
De mappis, ſeu chartis Geographicis.

CAPUT I.
De Planiſphærio terreſtri.

1. *Quid eſt Planiſphærium terreſtre?*

Eſt mappa ſive charta Geographica univerſalis, quæ totum terrarum orbem in plano depictum exhibet.

2. *Ecquodnam diſcrimen Globum inter & Planiſphærium?*

Ille terrarum orbem in Globo, vel Sphæra; iſtud eundem orbem in duo hemiſphæria diviſum, in plano ſive charta ità exhibet, quaſi Globus in Geminas æqualiter diſſectus ſit partes, ambæque juxtim jaceant.

 3. *Quid*

ſub diverſis Parallelis æqualiter ab Æquatore verſùs utrumque polum diſtantibus habitant. His ſimul medius dies, & media nox eſt; at cum dies creſcunt Borealibus, Auſtralibus decreſcunt, & cùm ver illis, his autumnus, cumque illis æſtas, his hyems eſt, &c.

Antipodes Græcè: itidem *Antipodes*, à Græco: *Anti*, *ſeu contra*, & Græco: *Pos*, latino pes, *Antichthones*, à Græco: *Chthon*, *ſeu terra*, ſunt, qui pedes nobis directè obvertunt, atque in eodem quidem meridiano, ſed in diverſo ſunt hemiſphærio. Hi nobiſcum eundem habent Horizontem, ſed diverſam ejus faciem, & æqualem Poli altitudinem; ſed Auſtralem illi, nos Borealam Cùm Sol illis oritur, nobis occidit, cùm illis meridies, nobis media nox eſt; cùm illis dies, aut nox longiſſima nobis breviſſima; cùm æſtas illis, nobis hyems ingruit, &c

CAPUT XIII.
De uſu Globi.

1. Quo pacto rite collocandus Globus?

1. Globum colloca in menſa, aut tabula plana, ità ut ejus Horizon ſit mund Horizonti parallelus. 2. Polum pro loci tui, ubi verſaris, latitudine attolle ab Horizonte. 3. Ità Globum converte, ut meridianus reſpondeat lineæ meridianæ, quam monſtrat pyxis nautica, in baſi Horizontis locata; Polúsque Arcticus reſpiciat Septentrionem, Antarcticus Meridiem.

læ milliarium admoto, mox patebit, quot milliaribus locus unus ab altero sit sejunctus.

7. Quæ sunt minores mensuræ, ex quibus tanquam partibus milliare constat?

1. Granum hordei secundùm latitudinem dispositum. 2. Digitus. 3. Palmus, qui duplex est, *major* sive *Spithama* duodecem digitorum. & *minor* quatuor digitorum. 4. Pes. 5. Passus, qui itidem duplex est, *major* sive *compositus*, qui & *Geometricus* dicitur, quinque pedum, & *minor* sive *simplex*, duorum pedum cum dimidio 6 Stadium. 7. Milliare Geometricum sive Italicum, mille passuum. 8. Leuca bis mille passuum, sive duplex milliare Italicum. Geometræ memoriæ causâ mensuras omnes hisce versiculis sunt complexi.

Quatuor è *Granis Digitus* componitur unus.
Est quater in *Palmo* Digitus, quater in *Pede* palmus.
Quinque Pedes *Passum* faciunt; Passus quoque centum.
Viginti quinque *Stadium* dant; sed *Milliare*
Octo dabunt Stadia, & duplicatum dat tibi *Leucam*.

CAPUT IV.

De variis vocabulis Geographicis.

1. Quid est Oceanus?

Est universa aquarum moles, terris passim infusa, orbemque universum immenso propè ambitu circumplectens, qui in varia maria, & sinus distribuitur.

2. *Quid*

Æquatori, aut ejusdem Parallelis responden-tes, quæ ad supernam, infernámque mappæ oram ab ortu in occasum ductæ *Scala longitudinis*, quòd in iis numerantur gradus *longitudinis*, vocari solent. Quæ verò lineæ in dextra siniſtráque mappæ margine à ſeptentrione in Meridiem ducuntur, ac Meridiano reſpondent, appelantur *Scalæ latitudinis*, ſive quod idem eſt, *elevationis Poli*.

6. Cur mappis pleriſque pyxis nautica, vulgò compaſſus appingi ſolet?

Ut lingulæ, quæ lilii formam refert, ſempérque Septentrionem reſpicit, beneficiô, mappa ad quatuor mundi plagas aptari poſſit. Quanquam plerúmq; pars mappæ ſuperior Septentrionem, inferior Meridiem, ſiniſtra occaſum, dextima Ortum teneat.

7. Quo pactò regiones, earúmque limites, urbes itém & pagi, &c. diſcerni poſſunt?

Limites punctis indicantur; regiones verò ipſæ diverſis diſcriminantur coloribus. Urbes turribus, nec raro caſtella, oppida, arces, monaſteria, pagi, &c. certis quibuſdam notis diſcernuntur.

8. Qua ratione locorum diſtantia indagari poteſt?

Per ſcalam milliarium, mappis pleríſque apponi ſolitam.

CAPUT III.

De variis dimenſionibus Geographicis.

Quid eſt Gradus?

Eſt trecenteſima ſexageſima circuli pars.

2. *Quot milliaria Germanica continent Gradus?*

Quindecim: quot tamen de gradibus in circulis maximis intelligendum; nam in minoribus, quales sunt Paralleli, Tropici, &c. Gradus quilibet eò pauciora continent milliaria, quò propiùs circuli illi ad Polum accedunt.

3. *Quot milliaria Germanica trecenti, & sexaginta illi gradus conficiunt?*

Quinquies mille, & quadraginta; tot enim milliaria totus terrarum orbis complectitur.

4. *Quid milliare Germanicum? quid Gallicum? quid Italicum?*

Germanicum duarum est horarum, sesquihoræ Gallicum, Italicum ferè semihoræ. Advertendum tamen, nullam ferè gentem æquis ubique uti intervallorum dimensionibus; nam sicut Germanis pro regionum diversitate milliaria alia sunt majora, alia minora, alia communia, quorum quindecim unum constituunt gradum in circulis Globi majoribus, ità Hispanis quoque & Gallis *leucæ*, & *milliaria* aliis gentibus sunt inæqualia.

5. *Quid, & quotuplex est Minutum?*

Minuta alia sunt horaria, alia Geographica. Minutum Geographicum est sexagesima pars gradûs, constans dimidiâ horâ sive quarta parte milliaris Germanici. Minutum horarium est sexagesima pars horæ, quod Minutum dividitur in minuta secunda, & secundum in tertia.

6. *Quomodo scala milliarium applicanda?*

Unus circini pes uni, alter alteri loco, cujus distantia quæritur, infigatur. Indè circino sca-

2. *Quid est mappa, seu charta Geographica?*

Est accurata sitûs terræ, vel ejus partium in plano, & charta adumbratio.

3. *Quotuplicis generis sunt mappæ?*

Duplicis: aliæ enim sunt universales, quæ orbem terrarum universum depictum exhibent; aliæ particulares, & hæ vel *majores*, in quibus majores orbis partes, ùt Europa, Asia, Africa, America depinguntur, vel *minores*, in quibus vel regnum quodpiã, aut provincia, vel regionis duntaxat pars, tractúsve aliquis delineatur.

4. *Quid in mappis universalibus præcipue attendendum?*

In harum, imò & quarumcunque mapparũ aspectu facies ad PolumArcticum, siveSeptentrionem, qui in superiore parte mappæ inscribitur, convertenda est; sic enim ad dexteram erit ortus, ad sinistram verò Occasus. Indè quoque patebit, quæ regiones cum præsente hac comparatæ, sint orientales, quæ occidentales, Boreales, & Australes. Considerandum itèm, quæ regiones cis aut ultra Æquatorem, quæ ad dextram primi Meridiani, quæve ad sinistram. Dein qua sub Zona aut climate sit quælibet regio, quæ ejusdem latitudo, & longitudo Geographica, vel etiam Physica, hoc est, quot contineat milliaria in longitudine, latitudine & circuitu; quæ loci hujus ab altero distantia, &c.

5. *Qua ratione in mappis invenienda longitudo & latitudo loci?*

Longitudinem indicant lineæ transversæ

2. Quid est Sinus?

Est maris pars, in terræ continentis gremium longiùs se insinuans, quæ si latior sit, amplioris que accessùs, nec in terram longius procurrens, *Baya* vulgò dicitur.

3. Quid est Fretum?

Est mare inter duas terras angusto tractu decurrens, & duo maria conjungens.

4. *Quid est Euripus, seu vortex maris?*

Est vorago, seu gurges maris, ubi aqua cochleæ instar in se contorta, proxima quæque magno impetu absorbet. Ex Euripis nominatissimus est Chalcidicus, Eubœam inter & Achajam, qui septies quotidie absorbere, & revomere undas dicitur Itèm maximus ille vortex seu Euripus ad Norwegiam, uti & Charybdis in freto Siculo, &c.

5. Quid est Bosphorus?

Bosphorus, sive Bosporus à Græco *Bous Boos*, seu *bovis*, Græcè *Poros trajectus*, quasi bovis trajectus, duplex celebratur: unus Thracius, qui est fretum angustum inter Byzantium in Europa, & Chalcedonem in Asia, quatuor stadiis patens, unde utrinque cantus gallorum, latratus canum, clamorésque hominum exaudiri possunt. Alter Bosphorus Cimmerius appellatur, éstque fretum angustum inter Tauricam Chersonensum in Europa, & Sarmatiã in Asia.

6. Quid est Æstuarium?

Est quasi sinus quidam aquis marinis refertus ex inundationibus exæstuantis pelagi.

7. *Quid*

7. Quid sunt brevia & Syrtes?

Brevia sunt loca maris vadosa, & sabulosa, ubi congestis arenarum cumulis quasi aggere quodam naves cinguntur, merguntúrque. Syrtes speciatim appellantur duo loca periculosissima in mari Africano, à Græco *Suro* seu *traho*, quoniam arenam copiosam saxáque ingentia trahunt, & huc, illúcque transferunt, & accumulant, sic appellatæ. Plures itèm alii scopuli in mari latentes, quibus allisæ naves pereunt, Syrtes vocari solent.

8. Quid est Portus?

Est locus ad sinuosum maris littus à natura vel arte ità aptatus, ut indè solvi, appellíque navigia, atque à piratarum, & hostium insidiis, cœli itèm marísque injuriis secura esse possint. Locus porrò, ubi naves anchoris tenentur, ac vel onerantur, vel exonerantur, *Rheede*, vel *Rhayde* vulgò dicitur.

9. Quid est Continens, quid Insula, Peninsula, Isthmus, Promontorium, Alpes, & Pylæ?

1. Continens est terra longo tractu alteri terræ ità cohærens, ut nullo mari sejungatur. 2. Insula contrà terra est aquis undíque cincta. 3. Peninsula, GræcèChersonesus, terra est, quæ aquis ità circumdatur, ut tamen aliqua sui parte continenti adhæreat. 4. Isthmus est perangustus terræ limes inter duo maria, Peninsulam cum continente, vel cum alia peninsula connectens. 5. Promontorium est mons in mare longiùs procurrens. 6. Alpes non tantùm sunt

mon-

montes illi prææalti, qui Italiam à Gallia Germaniáque ſeparant; ſed ii quoque omnes, qui tractu continuo per totam propemodum Europam brachia quaſi exporrigunt, variáque à variis regionibus trahunt nomina. 7. Pylæ à Greco *Poly* ſeu *porta* ſunt anguſtæ montium *fauces* ſive aditus.

10. Quid eſt littus? quid ripa?

Littus ſive ora eſt terra mari adjacens, quæ fluctibus alluitur; Ripa verò eſt terræ extremæ ora, quæ utrinque flumine alluitur. Littus propriè de mari dicitur, ſicut Ripa de fluminibus. Longior porrò littoris tractus, ſive ora littoralis, appelatur vulgò.

11. Quid eſt fons, torrens, fluvius, lacus, ſtagnum, & palus?

1. Fons eſt aqua ſcaturiens, ac velut ſaliendo, aut ebulliendo è telluere prorumpens. 2. Torrens eſt aqua magno fluens impetu è copioſis aut diuturnis imbribus vel ſoluta nive naſcens, & nonnunquam propè deficiens. 3. Fluvius eſt aqua jugiter decurrens fluénsque, è pluribus rivis, ac torrentibus collecta. 4. Lacus eſt aqua quieſcens ex pluribus, aut etiam rivo vel fluvio interfluente, perennibus lymphis abundans 5. Stagnum eſt minor lacus. 6. Palus eſt aqua quieſcens, cœnoſa, putrídaque ex pluviis ùt plurimum, nivibúsque aut tenuioribus fontibus, & rivulis collecta, ac ſubinde, ſicca præſertim æſtate, evaneſcens.

12. Quid ſunt Oſtia?

Sunt fluviorum exitus, per quos in mare vel alium etiam fluvium exonerantur.

CA-

CAPUT V.
De Globi terraquei divisione.

1. Quasnam in partes orbis terrarum dividitur?

In terram, & aquam. Terra rursum dividitur in duas prægrandes insulas, quarum quæ in planisphærio dextrum occupat hemisphærium, vetus orbis, quæ sinistrum, novus orbis appellatur.

2. Quas in partes orbem veterem divisêre antiquiores Geographi?

In tres, Europam nempe, Asiam, & Africam: Quanquam ex his ipsis & regiones, & insulæ, & maria complura id temporis incognita prorsus erant, quæ posterorum solers detexit industria. Sed & hac nostra ætate novi æquè ac veteris orbis regiones non paucæ, præsertim, quæ utrique Polo circumjacent, nobis adhuc sunt ignota.

3. Quod novo orbi nomen?

Hic à Christophoro Columbo Genuēsi 1492. primùm detectus, ac postea Americo Vespucio Florentino, qui magna ex parte eundem lustravit, America est appellatus.

4. Quem situm quatuor hæ orbis partes obtinent?

Europa Septentrionem, Asia Orientem, Africa Meridiem, America Occidentē spectat.

CAPUT VI.
Divisio aquarum.

1. Quas in partes dividitur Oceanus?

Hic à quatuor orbis plagis, dein etiam à variis, quas alluit, regionib, varia trahit nomina

2. *Quid est Oceanus Septemtrionalis, sive Glacialis?*

Qui ad Septentrionem recedens vehementi frigore congelascit.

3 *Quid est Oceanus Orientalis, Eous, sive Indicus?*

Qui Orientem versùs ultra Asiam, & Chinam porrigitur.

4 *Quid est Oceanus Australis, sive Æthiopicus?*

Qui Æthiopiam partémque Africæ Australem alluit.

5. *Quid est Oceanus Occidentalis, sive Atlanticus?*

Qui ultra Hispaniam, & Lusitaniam Occidentem versùs procurrit, noménque trahit ab Atltante monte maximo, qui ab ea Oceani parte per totam Africam se extendit.

6. *Quid est Mare Pacificum, vulgò Mar del Zur?*

Quod Asiam inter & Americam, & terram Australem incognitam, sive Magellanicam interfusum, ab Hispanis *Mar del Zur*, id est: Mare Australe, & *Pacificum* à fluctuum placiditate nominatur.

7. *Quid est Mare Septentrionale, vulgò Mar del Nord?*

Quod Americam inter, Europam & Asiam ad Æquatorem usque protenditur.

8. *Quid est Mare Gallicum, Germanicum, Hybernum, Indicum, &c.*

Diversæ sunt Oceani partes, quæ à regionibus, quas alluunt, sic appellantur

9. *Quid est Mare Mediterraneum?*

Pars est Oceani Atlantici, qui à Solis occa-

ſuper fretum Gaditanum irrumpens inter Europam, Africam, & Aſiam medius quaſi diffunditur; unde Mare *Mediterraneum*, & *Internum* dicitur.

10. Ubinam Mare Nigrum, ſive Pontus Euxinus?

In Turcia Europæa Aſiam versùs, in quod Danubius ſe evolvit. Dicitur *Nigrum* ob perpetuas ferè nebulas Mari huic incumbentes.

11. Ubinam Mare Album?

Septentrionem versùs ad extrema Moſcoviæ littora; quo nomine Barbari etiam Mare Ægæum appellant ad diſtinctionem Maris Nigri, ſive Ponti Euxini.

12. Ubi Mare Rubrum, ſive Erythræum?

Ægyptum inter & Arabiam, *ſinus* idcircò *Arabicus*, & *Thalaſſa Erythra* ſive *Erythrea*, *Mare Rubrum* dictum, vel ob rubras arenas; vel à Rege Erythra; in inſula Ogyri ibidem ſepulto; vel potiùs ob rubram plantam, quàm Æthiopes *Zuph* vocant, in Mari hoc copioſiſſimè germinantem.

13. Quid eſt Archipelagus?

Eſt mare plurimis inſulis interceptum, quale eſt 1. Ægæum. 2. Mexicanum ad inſulas Antillás. 3. Archipelagus S. Lazari ad inſulas Marianas. 4. Ad inſulas Maldivas, quarum incredibilis numerus in Mari Indico.

14. Quod eſt Propontis, ſive Mar di Marmora?

Eſt Mare illud, quod ab Helleſponti anguſtiis, ſive freto *Dardanellarum* ad Thracium uſquè Boſphorum protenditur. Dicitur Propontis, à Græco *Pro*, ante & *Pontos* mare, quaſi

veſti-

vestibulum Ponti Euxini. Hodie *Mar di Marmora* ab adjacente insula, & urbe Marmora appellatur.

15. Ubinam Mare Caspium, sive Mar de Sala?

Mare Caspium, sive Hyrcanum (hodie *Mar de Sala* & *Mar de Bachu*, itèm *Mare Clausum*) Persiam inter, Târtariam magnam, Moscoviã, & Georgiam (vulgò *Gurgistan*) concluditur, neque alteri Mari, nisi forrè per occultos meatus miscetur. Unde Ptolomæus maluit lacum appellare, cùm pedibus circuiri possit. In hcc Mare Oxus fluvius, & Volga ingenti aquarum mole sese evolvunt.

16. Ubi Mare Balticum, Sinus Finnicus, Bothnicus, & Livonicus?

Mare Balticum (olim *Sinus Codanus*, vulgò *die Ost-See*, sive mare Orientale) Daniam, Sueciam, Livoniam, Prussiam, Pomeraniam, & Poloniam interjacet, atquè in três iterum Sinus se diffundit, Bothnicum nempe, Finnicũ, & Livonicum. Verùm hæc omnia clariùs ob oculos ponent mappæ Geographicæ, de quibus modò agendum.

CAPUT VII.

Mappa Geographica Europæ.

1. Quanam sub Zona sita est Europa?

Partem potissimam sub Zona temperata Septentrionali.

2. Qui Europæ termini.

Hanc ad Orientem Obius fluvius ab Asia; ad Meridiem Mare Mediterraneum ab Africa

 dister-

disterminat. Ad Occidentem Oceanus Atlanticus, ad Septentrionem Mare Glaciale interjacet.

3 Quæ Europæ in mappa Geographica species?

Virginis sedentis, cujus *diadema* Lusitania, *caput* Hispania, *monile* montes Pyrenæi, *collum & pectus* Gallia, *brachium sinistrum* Britania magna, & Hibernia, *dexterum* Italia. Sub *læva axilla* Belgium, sub *dextra* Helvetici fœderis sunt Provinciæ Reliquum *corpus* est Germania, Polonia, Hungaria; *genua* Dania, Suecia, Norvegia, *toga* Moscovia; *syrma* Turcia Europæa, & Græcia.

4. Qui præcipui Europæ fluvii?

1. Tanais fluvius est Moscoviæ. 2. Poloniæ Vistula Borysthenes 3. Germaniæ Danubius, & Rhenus. 4. Italiæ Tiberis, & Eridanus, sive Padus. 5. Angliæ Tamesis. 6 Galliæ Rhodanus, Sequana, & Ligeris. 7. Hispaniæ Iberus, & Bætis. 8 Lusitaniæ Tagus, & Durius.

5. Qui Europæ montes celebriores?

Præ omnibus commemorandæ sunt Alpes, quæ Italiam à Gallia, & Germania sejungunt: quippe non tantùm montes Pyrenæi, qui Galliam ab Hispania separant; sed Sabaudiæ quoque, Vallesiæ, Helvetiæ, Rhetiæ, Tyrolis, ditionis Salisburgensis, Carinthiæ, Carniolæ, Stiriæ, &c. montes itèm Carpathii, qui Poloniam ab Hungaria, & Sudeti, sive Gigantei, qui Bohemiam à Silesia disterminant, Alpina sunt brachia.

6. Quid

6. Quid de Sylvis memorandum?

Sicut montes, ità & ſylvæ, licet diverſis appellantur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipiunt, indéque continuo quaſi tractu quaquaverſum ſe propagant. Inter omnes principatum tenet Sylva Hercinia, quæ 1. Ad Briſgojam, & in ditione Fürſtenbergenſi *Sylva Nigra*. 2. In Palatinatu inferiore *Ottonia*. 3. In Epiſcopatu Bambergenſi *Steiger-Wald*. 4. Inter Lohnam, & Sigam fluvios *Weſterwaldia* ſive *Occidentalis*. 5. Francofurtum inter & Abbatiam Fuldenſem *Spesbart*. 6. In Principatu Grubenhagenſi, & Anhaltino *Hercinia Hartzwald*. 7. In Thuringia *Thuringica*. 8. In Bohemia *Bohemica* appellatur, &c. Hæc Franconiam ab Haſſia, & Thuringia, Bohemiam à Voitlandia, Palatinatu ſuperiore, & Bavaria diſpeſcit, & in Moraviam, totúmque ferè Noricum, Hungariam, Tranſylvaniam, Valachiam, Moldaviam, Poloniam, Ruſſiam, Moſcoviam, &c. porrigitur.

7. Quot milliaribus Europa circumſcribitur?

Longitudo ejus ſumma à promontorio Sacro Luſitaniæ (Capo S. Vincente) ad Obii uſque fluminis oſtium milliaria Germanica circiter nongenta; latitudo verò maxima à Tænaro (Capo Matapan) Peloponneſi promontorio ad extremum uſque Lappiæ Norwegicæ promontorium Boreale, vulgò *Nord-Cap* miliaria ampliùs quingenta complectitur.

8. Quænam inter quatuor orbis partes principatum obtinet?

Europa, quæ licèt magnitudine cæteris longè sit inferior; bellicæ tamen laudis gloriâ, artium humanitatis, & literarum culturâ, negotiationibus, morum ac vitæ policioris disciplinâ, aliisquè prærogativis printipem sibi locum jure vindicat:

9. Quænam præcipua Europæ partes?

Novem majores, totidemque minores.

10. Quænam majores novem?

1. Scandia, sive Scandinavia peninsula, Norwegiam, & Sueciam complectens, cui Daniam jungimus. 2 Moscovia, sive Russia. 3. Polonia. 4. Turcia Europæa. 5. Germania. 6. Britannia magna, hoc est Anglia, & Scotia, adjunctâ Hiberniâ. 7. Italia. 8. Gallia. 9. Hispania, cui addimus Lusitaniam.

11. Quæ novem minores Europæ partes?

1. Belgium. 2. Lotharingia. 3. Helvetia. 4. Sabaudia, quæ Galliam inter & Germaniam sitæ sunt. 5. Hungaria. 6. Translylvania. 7. Valachia. 8. Moldavia. 9. Tartaria minor, quæ Poloniam, & Turciam Europæam interjacent.

12. Quæ alia Europæ divisio?

Dividi hæc etiam potest in regiones continentes, peninsulas, & insulas

13 Quæ Peninsulæ?

1. Scandinavia. 2. Chersonesus Cimbrica, ubi hodie Jutia, & Slesvicum. 3. Chersonesus Taurica, sive Tartaria Crimæa: 4 Peloponnen-

ponesus, sive Morea. Cōtinentes sunt reliquæ regiones, pauló antè memoratæ; è quibus tamē Italia etiam inter peninsulas numerari potest.

14. Quæ Insulæ.

1. In Oceano sunt Anglia, Scocia, Hibernia, Islandia cum minoribus aliquot. 2. In Mari Baltico Seelandia, Finnia, pluresque aliæ minores. 3. In Mediterraneo Sicilia, Sardinia, Corsica, Candia, sive Creta, Balearis major, sive Majorica, Balearis minor, sive Minorica, &c.

15. Quæ Regiminis forma in Europa?

Triplex 1. *Monarchica*, ubi unus solus rerū potitur. 2. *Aristocratica*, ubi Optimates imperant. 3. *Democratica*, ubi plebs ipsa dominatur, vel saltem ex hac deliguntur populi præsides. Siqui porrò ex triplici hac classe subjectos sibi populos prope ùt mancipia habent, suis duntaxat rationibus commodisque intenti, ii Tyranni appellantur.

16. Quæ in Europa linguæ usitatæ?

Quatuor matrices, Græca nimirum (cujus tamen usus hodie rarissimus) Latina, Teutonica, & Sclavonica. E *Latina* Italica, Gallica, & Hispanica; è *Germanica*, Suecica; Danica, Belgica, & Anglica; è *Sclavonica*, verò Bohemica, Polonica, Russica, &c. ortum traxêre.

17. Quæ antiqua Europæ divisio?

1. Magna Peninsula Scandinavia Sueciam, & Norwegiam. 2. Sarmatia Europæa Moscoviam, Poloniam & Lithvaniam. 3. Illyricum Dalmatiam, Bosniam, Croatiam, Istriam, Forum

rum Julium, &c. 4 Scythia Europea Transylvaniam, Valachiam, Moldaviam, & Tartariam minorem. 5. Thracia Romaniam, sive Turciam Europeam. 6. Mœsia Serviam, & Bulgariam 7 Pannonia Hungariam regionésque conterminas complectebatur. Germania porrò, Gallia, Italia, Hispania, Britannia, &c. pristinam appellationem etiamnum retinent.

CAPUT VIII.

De novem majoribus Europæ partibus.

Exordium ducimus à Polonia nostra, postea ad Germaniam, indè ad Septentrionem digressi, à Peninsula Scandinavia ad Lusitaniam usque gradum faciemus.

§. I.

POLONIÆ REGNUM.

1. *Quæ regiones conterminæ?*

AD Septentrionem Borussia, Curlandia, & Livonia, cum Moscoviæ parte, ad Ortum itidem Moscovia, ad Occidentem Silesia, Marchia Brandeburgica, & Pomerania, ad Austrum Valachia, Transylvania, & Hungaria.

2 *Qui fluvii præcipui?*

Vistula Cracoviam, Varsaviam, Thoruniam, &c. alluens, infra Dantiscum Mare subit Balticum; Borysthenes verò & Tyras in Pontum Euxinum sese exonerant.

3. Quæ cœli affectio locíque natura?

Aër perfrigidus quidem, sed salubris, nisi quòd in Lithvaniæ quibusdam locis palustribus crassior sit, & insalubrior. Terra frumento, cera, melle, sale, pice, metallis, pecore, jumentis, feris ac piscibus omnis generis abundat.

4. Quæ præcipuæ Regni Polonici partes?

1. Polonia propiè dicta. 2. Magnus Lithvaniæ Ducatus. 3. Borussia regalis sive Polonica, &c.

5. Quæ regni hujus urbes præcipuæ?

Cracovia Regni totius, Vilna Lithvaniæ Mætropolis est, Varsavia Regum sedes.

6. Qui Polonorum genius?

Sunt fortes, & animosi, atque adversùs Turcas aliósque Ecclesiæ hostes prorsus intrepidi, equo ùt plurimùm merere soliti, nobilitatis avitæq; libertatis apprimè tenaces, &c.

7. Quæ regiminis forma?

Partim Monarcica, partim Aristrocratica cum Democratia permista

8 Quæ Religio?

Catholica; tolerantur tamen alicubi Lutherani, Calvinistæ, aliíque Sectarii, quos *Dissidentes* vocant.

Quæ brevissimè Author Opusculi exposuit, ea fusiùs ex Starovolscio laudato Proponuntur.

SITUS POLONIÆ.

REgnum *Poloniæ*, cum adjacentibus sibi provinciis, extenditur in longum, à tricesimo-

octavo gradu, ad quinquagesimum quartum, ab occasu æstivo versus ortum hibernum, amplius quàm per ducenta quadraginta milliaria Germanica. In latum verò à montibus *Carpathiis*, usque ad mare *Balthicum* seu *Veneticum*, per ducenta plus minus milliaria. Ab occasu cingitur *Marchia Brandeburgensi* & *Pomerania ulteriore* A Septentrione *mari Venetico* & *Sarmatico*, cujus adversa littora *Gotthi* atquè *Sueci* tenent. Ab ortu *Moscovia*, & campestribus *Scytharum* solitudinibus A plaga demū Australi, *Valachia*, *Hungaria*, atquè *Silesia*.

Regio tota fere plana & aprica est, nisi qua ad fines *Hungariæ* accedit, montana & sylvestris. Quò longius autem inde recedit, eò lenius declivis est, magisquè culta, & meliore gleba. Nisi quod in meditullio minoris Poloniæ *Calvus mons* supereminet, in quô monasterium est *S. Crucis* nomine, lignoque, in quò Salvator noster pependit, celebre: reliqui colles fere in toto Regno sunt potius quam montes. Sylvestris sane fuit superioribus temporibus pleraque omnis Polonia: sed nunc ubiquè diligenter excolitur, frugum leguminumquè ferax, & pratis abundans, Et quamvis cœli intemperie nimium laborat; pomaria nihilominus non infrequentia & fructuosa passim habet: in quibus pyrorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Ungaricis & Italicis. Sunt & vites pluribus in locis, quarum uvæ esui quidem non insuaves sunt, præser-

tim

tim si æstas & autumnus temperiem suam ser-
vent: sed vinum inde expressum acerbius, ubi
defæcatum est. Nequè negat solum Polonicū
castaneas, mora, cotonia, ficus, amygdala, cro-
cum, oryzam, pepones, melopepones, herbas
& flores omnis generis, & alias hortenses Ita-
liæ delicias, palatuumque lenocinia. Nec
metalla fossiliaquè desunt, ut suis locis dice-
tur plumbi, ferri, æris, cupri, argenti & auri.
Avium quoque & altilium magnam habet co-
piam; Itemquè jumentorum omnis generis, &
ferarum; cervorum videlicet aprorum, urso-
rum, luporum, sciurorum, dorcarum, leporum,
onagrorum, bisontium, caprarum, urorum,
pantherarum, mardurum, vulpium, rosomaco-
rum, lutrium & castorum. Similiter piscium
diversorum, quotquot nominari possunt; nam
fluviis, lacubus, piscinis atquè stagnis supra
modum abundat.

Inter fluvios tamen præcipui sunt *Vistula*, *Du-
Donajecius*, *Sanus*, *Nieper*, *Varta*, *Notessus*, *Du-
na*, *Nemenus*, *Nester*, *Prutus*, *Bugus*, *Bobus*, *Pri-
petius*, *Narva*, *Dreuantia*, *Beresina*, *Boristhenes*,
omnes ferè navigabiles. Sed sigillatim, quam-
libet provinciam cum suis qualitatibus videa-
mus.

MAJOR POLONIA.

TOta in universum Polonia extenditur in
longum per nonaginta milliaria Germani-
ca; incipiens à *Marchia Brandeburgiensi* ab occi-
dente, usquè ad *Vislocam* fluvium; qui è *Car-*

pathiis montibus profluens, *Russiam* à *Polonia* disterminat, & quatuor à *Resovia* milliaribus *Sano* illabitur. Latitudinem verò habet 50. mill. à prædictis montibus *Carpathiis* usque ad oppidum *Parcoviam*, in confinibus *Lithvaniæ* positum. Dividitúrque in *Majorem & Minorem*. MAIOR versùs occasum est, tota fere plana & fluviis irrigua, nisi quòd *Cujaviæ* nonnulla pars clivosa est, collibúsq; molliter & ad fertilitatem commode distincta. Habet à meridie *Silesiam*; *Marchiam* ab occusu & *Pomeraniam ulteriorem*: *Prussiæ* partem & *Masoviam* à septentrione, à quibus *Vistula* disterminatur: ab ortu verò *Minorem Poloniam*, variis, iisq; ignotis terminis divisam, sed quos inter *Pilcza* fluvius præterlabitur. Tota autem hæc *Majoris Poloniæ* amplitudo, in *octo satrapias* dividitur: in *Palatinatum* videlicet *Posnaniensem*, (cui & *Wschovense* territorium adjungitur) *Calissiensem*, *Siradiensem*, *Lanciciesem*, *Brestensem*, *Inovladislaviensem* (& hæ duæ satrapiæ vulgo *Cujavia* dicuntur) *Ravensem* & terram *Vielunensem*.

POLONIA MINOR.

TAM in longum, quàm in latum, quinquaginta fere milliaria Germanica, MINOR POLONIA habet; & in *tres* communissimè *satrapias* seu Palatinatus dividitur, *Cracoviensē*, *Sandomiriensē*, & *Lublinensem*, hoc ipso ordine, quo nunc sunt enumerati, versus Aquilonem & ortum æstivum sitos. Et à septentrione quidem *Masoviæ*

atq;

atque *Podlachiæ* tractui, ab occidente *Majori Poloniæ*, ab ortu *Russiæ*, à meridie verò *Ungariæ*, & *Silesiæ*, finitima est. Quoque propiùs accedit ad fines *Ungariæ*, hoc magis montana est & sylvestris: quo longius autem inde recedit, eo lenius declivis est, magisque culta, & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque *Sandomiriensis* terra, aliqua ex parte leniter montosa, seu verius clivosa apparet: Uno *Calvo monte* excepto, in quo Monasterium Benedictinorum est, S. CRUCIS nomine lignóque celebre; tum aliud ad radices ejus, duobus milliaribus inde S. CATHARINÆ, FF. Minorum de observantia.

CRACOVIENSIS Palatinatus, præter suos *quatuor districtus* (*Cracoviensem* videlicet, qui *duo territoria* complectitur, *Xiaznense* & *Prossoviense*, *Leloviensem*, *Biecensẽ*, & *Sandecensẽ*, in quos dividitur) etiam *tres Ducatus* in se continet, *Osvecimensem Zatoriensem*, *Severiensẽ*, qui partes sunt *Silesiæ*, & Comitatum *Scepusiensem*, qui est pars *Ungariæ*, *tredecim oppida* continens, inter quæ *Luboulia* precipuũ locũ sibi vindicat, arcem munitissimam, & in ea perpetuas excubias habens; *Podolinecia*, quoque Collegio Piarum Scholarum percelebris. Reliqui verò omnes hujus satrapiæ districtus, *tres & nonaginta populationes*, præter pagos & villas continent, templis, Monasteriis, & castellis exornatas. Ac præter istas, sunt etiam arces in editioribus locis & rupibus extructæ, *Melstinum*, *Rabstinum*, *Tencinum*, *Landiscorona*, *Moravica*, *Xiansia*, *Ogrodenecia*, *Li-*

pove-

pavecia, Osiecium, Visnice, Pilca, Sorstenum, Bobrek, Spitkovice, Soben & cætera. Sed ſunt & Monaſteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagiſve non longe diſtantibus frequentata, *Tinecenſe, Mogilenſe. Bielanenſe; Calvariæ, Miechovienſe, Sieleceenſe, Viſnicenſe, Sciricenſe, Hebdovienſe, Alvernenſe, Stanantecenſe, Andreovienſe; Prerovienſe; Gidlenſe; Mſtovienſe, & Częſtochovienſe.*

LITHVANIA.

SYlveſtris ſanè fuit ſuperioribus temporibus pleraquè omnis *Lithvaniá*, ſed à *Sigiſmundi Senioris* temporibus ad hodiernam uſque diem. optimorum Regum ſtudio, diuturnam pacem nacta, nunc udiquè diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis, hortis, pomariis; abundans; villis pagis, opidis, caſtellis, recentioriſq; fabricæ ædificiis, non modo in urbibus, ſed etiam in prædiis refertiſſima: Fluvios complures, & lacus ingentes, ſed piſcoſos paſſim habet. Extenditurquè à confinio ſatrapiæ *Lublinenſis*, uſque ad terminos *Livoniæ*, in longum per nonaginta milliaria Germanica, in latum per quadraginta & amplius; à finibus *Pruſſiæ* ab occaſu, ad *Albæ Ruſſiæ*, (quæ ad magnum Ducatum *Lithvaniæ* ſpectat) contermina verſus ortum, Et dividitur communiſſime in *hos tres Palatinatus*, *Vilnenſem*, *Trocenſem*, & *Breſcianenſem*.

RUS-

RUSSIA

PRout Regi *Poloniæ* amplissima *Russiæ* regio subiicitur, extenditur in longum ab ora *Pocucensi*, ad confinia *Livoniæ*, per ducenta plus minus milliaria; in latum verò à *Polonia Minori* aut *Lithvania*, versus ortum usquè ad vastos *Tartarorum* campos, aut *Moscoviam*, per centū viginti. Dividiturquè in *Russiam albam*, quæ ad Magnum Ducatum *Lithtvaniæ* spectat; & in *Russiam Rubram* quæ proprè dicitur *Roxolania*, & ad *Poloniam* pertinet. Nam tertia pars ultra *Tanaim* & fontes *Boristhenis* posita, dicitur *Russia nigra* ab antiquis, à recentioribus autem vulgo obtinuit', *Moscovia* appellari; quod totum illud imperium, quaquà latum est, ab urbe & fluvio *Moscua*, dicatur communiter *Moscovia:* quæ olim *Sarmacia Asiatica* vocabatur. Nostra autem *cis Borysthenica Russia*, *Sarmatia Europæa;* & *Polonia* ipsa propriè *Vandalia*. Tota hæc in universum regio, frugum, ferarum, pecoris, piscium & mellis copiam infinitam habet; præsertim in *Podolia*, ubi ex dictamno & aliis bene olentibus herbis ac floribus ab apibus colligitur. Nobiles audaces sunt & strenui omnes, quin & agrestes ad bellum prompti, loricis, sclopetis, hastis, aliisquè plurimis armis, præcipuè autem cuspide venatorum & pharetrâ utuntur.

RUSSIA RUBRA.

NObilissima hæc Provincia, lacte, & melle abundans, ab Austro *Ungariam*, *Moldaviam*

& Bessarabiam, habet; ab Euro *Schythiæ* deserta, & potentissimum *Moscoviæ* Principem, à septentrione *Albam Russiam*, *Stiro & Pripecio* fluminibus disjunctam, ab occasu verò *Minorem Poloniam*, *Visloca & Vepro* fluviis quasi notioribus terminis divisa. Complectitúrque in se *septem* amplissimas *Satrapias*, *Russiæ Palatinatum*, inprimis deinde *Podoliæ Volhyniæ*, *Belzæ*, *Braslaviæ*, *Kioviæ*, & terram *Chelmensem*, *Haliciensemq*.

RUSSIA ALBA.

QUæ Magno Ducatui *Lithvaniæ* adjacet subjacetque, *Russia* vulgo dicitur *Alba*; partim quòd incolæ eum colorem præferant; partim quod nivibus campi cooperti diutius quàm alibi durent, & inspectantibus omnia alba repræsentent, ut etiam in naturam animalium color iste transeat; Siquidem ibi & lupos & ursos, lepores, vulpes aliáque tam doméstica, quam sylvestria animalia passim alba videre est, quæ nihilominus in aliis locis nata alium colorem habere solent. Regio est omnium rerū quæ ad victum spectant feracissima, siliginis, hordei, avenæ, tritici, ciceris, cañabis, lini, mellis, lupuli, ceræ, pecoris, piscium, avium, & ferarum: hæque sunt divitiæ ipsorum, quas partim *Duna* fluvio, in *Livoniam* ad emporium *Rigense* transmittunt, partim *Nemeno*, per *Lithuaniam Regiomontum* in *Prussiam*. Dividitur autem hæc nobilissima provincia, in *sex* maximos *Palatinatus Smolenscensem*, *Polocensem*, *Novogrodensem*, *Vitepscensem Mscislaviensem*, *Minscensem*.

PRUS-

PRUSSIA.

PRussia quamvis eodem cum *Polonis* Regno contineatur, peculiare tamen consilium publicum, peculiares leges, peculiaria judicia, comitia, ærarium, ac belli gerendi rationem diversam antiquitus habet. Estquè amplissima regio, plerisquè sinuosis flexibus ubique amœna, & opportunis portibus maris *Balthici* maximè commoda. In latitudinem 50. in longitudinem verò circiter sexaginta milliaribus extenditur. Et ab occasu *Pomeraniam*, ab Austro. *Masoviam*, *Lithvaniam* cum *Samogitia* ab ortu, à septentrione demum mare *Balthicum* seu *Sarmaticum* habet; atque urbium illustrium, oppidorum, artiumquè frequentia, opimis incolarum divitiis, opibusquè ac terræ ipsius ubertate, supra modum claret. Metallorum quidem ferax non est, sed pecoris omnigeni inæstimabili copia, piscationibus, venationibusquè & sylvis fructuosissimis, atque aërris demum temperie, cum amænitate conjuncta, prædita est. Merces quas è *Polonia*, *Russia*, & *Lithvania*, accipit, maximo suo comodo trans mare mittit; & vicissim in *Poloniam* importat, quicquid *Europa* universa, & *India* dives gignit, omnia fere per comutationem à transmarinis mercatoribus accipiens. Hinc vulgo simul & nòbilitati res ibi lautior, quam in reliquis partibus Regni, vestitusque & habitatio cultior; quod prisca frugalitas, non modo conservat, sed etiam in dies auget.

Habet autem *Prussia* præcipua flumina *duodecim*, *Vistulam*, qui *Silesiam*, *Poloniam*, *Masoviam*, & *Prussiam* præterlabitur, *Nemenum*, ex *Alba Russia*, per *Lithvaniam* & partem *Samogitiæ* decurrentem, *Derevantiam*, *Elbingam*, *Veseram*, *Passariam*, *Allam*, *Pregelum*, *Ossam*, *Drebnicam*, *Licam*, & *Laviam*. Præterea lacus plurimos, piscibus omnis generis axundantes; in his nominatissimus est *Habus*, ad quindecim milliaria in longitudinem, in latitudinem verò duo milliaria plus minus habens: angusta valde insula *Neringa* à mari disjungitur; ubi succinum sive electrum (*ambram* etiam externi vocant, quàm fluctibus appulsam, ad littora homines nudi obviam euntes, parvis retibus excipiunt & extrahunt; mollem primum, sed mox in àére durescentem, quæ torno deinde ac scalpro varie conformatur) sicut & in omnibus *Prussiæ* littoribus colligitur. Est & alius lacus aliquanto amplior isto, cognomento *Curoniensis*, sed in *Prussia Ducali*: reliqui omnes fere minores.

Duplex autem est *Prussia*, *Regia* & *Ducalis*: sic dictæ, quod hæc *Ducem Marchionem Brandeburgensem*, Regi *Poloniæ* vectigalem, pro Domino agnoscat; illa, directè Regno *Poloniæ* incorporata, neminem pro Principe superiore, nisi Regem ipsum veneretur. Et *Ducalis* sanè minoribus oppidis frequens est admodum, & quidē nec incultis, nec immunitis, quæ ultra *sexaginta* numerantur: habetque metropolim *Regium montem*, urbem emporio claram, tribusquè oppidis & arce magnifica insignem, longitudinis

gradu

gradu 43. lat. 54. In qua, Academiam quoquè *Albertus* ex *Magistro Ordinis Teutonici* primus *Dux* factus, Anno 1544. erexit. sed quia Hæreticis professoribus regendam commisit, ideo hucusque incognita habetur, nec efflorescit ingeniis. Cives ibi etiam variis Sectis infecti, templa *Lutheri* adhuc temporibus, Catholicis erepta, suis prædicatoribus gubernanda dederunt. Quare serenissimus Rex *Sigismundus III.* cum à *Duce* illo Anno 1621. homagium *Varsaviæ* reciperet, legem imposuit, ut Catholicis liberum religionis exercitium maneret, *Duxquè* ipse templum illis à fundamentis erigeret, & omnibus requisitis ornaret, Clerumquè insuper sufficientissime ditaret. Quod primo statim anno factum est, ut in possessionem venit; aliàs enim Ducatu ipso privari debebat, sicut etiam, si subditis suis provocationes ad Regem, in causis majoribus prohibuisset.

Regia autem *Prussia*, *tribus* satrapiis distincta est, *Culmensi*, *Marieburgensi* & *Varmiensi*. *Michaloviense* autem territorium est in satrapia *Culmensi*, quæ ad meridiem spectat. *Varmiensis* ad Aquilonem, subjecta Episcopo suo, & sacro Ecclesiæ ejus collegio, Regis *Poloni* majestatẽ agnoscentibus. Media est *Marieburgensis*, quæ sola fere plana & declivis est, Reliqua *Prussia* pleraquè omnis collibus molliter, & ad fertilitatem amœnitatemque, commode distincta est.

POMERANIA.

POmeraniæ nomine generaliter id totum vocatur, quidquid à *Vistula* incipiens, usquè in *Cimbricam*, littori maris *Balthici* adjacet, quod post quàm in *Germanicæ* gentis ditionem cessit, cuilibet parti, inter fluvios majores in mare decurrentes sitæ, peculiare nomen, vel ab eventu, vel à loci natura, pro libitu imposuerunt. Propriè autem nunc *Pomerania* dicitur ille tractus, qui inter *Oderam* & *Vistulam* fluvios extenditur ad littus *Balthicum*: cujus partē citeriorem Rex *Poloniæ* possidet; ulterior proprium principem habet, ad *Imperium Germanicum* spectantem. Qui tamen nomine olim *Lemburgi* & *Bithoviæ*, Regis *Poloni* beneficiarius fuerat, juraveratque ritu solenni in verba ejus, quemadmodum & *Dux Prussiæ* (sed nunc jam ad coronam *Poloniæ* rediit, & provinciæ *Prussiæ* adscripta est, sub jurisdictione Palatini *Pomeraniæ*.) *Regia Pomerania*, quæ iisdem moribus & legibus cum *Prussia* est, nec nisi titulo solo ab illa differt, & fluvio *Vistula* disjungitur, *Gedanum* urbs metropolis est, longitudinis gradu 41. lat: 54. maris *Balthici* emporium celeberrimum, copia & varietate mercimoniorum, partim maritimorum, ex toto occidente & septentrione, partim terrestrium ex diversis mundi partibus & fluviatilium, maximè *Vistulæ* præterlabentis opportunitate abundans adeò ut ædificiorum tam privatorum, quā publicorum, pulchritudine, incolarum & ex-

ternorum multitudine, civium divitiis, propugnaculorum firmitate, machinarumquè & instrumentorum bellicorum numero, cum præcipuis *Europæ* urbibus certate possit. Quæ cum hæretica tota sit, *Officialem* tamẽ seu *Vicarium* Episcopi patitur, & coram illo omnes hæretici variarum sectarum causas disceptant, præsertim in materia matrimonii. Quamvis enim hæc satrapia proprium Episcopum non habeat; in spiritualibus tamẽ tota subest Episcopo Vladislaviensi seu *Cujaviæ*, qui se etiam Episcpum *Pomeraniæ* scribit, & in ea non contemnendas possessiones habet, etiam in suburbanis *Gedanensibus*, ubi Templum & Collegium pro erudienda juventute PP. Soc: JESU habent; Dominicani autem, Carmelitæ & Moniales in urbe ipsa, sicut & vicarius Episcopi.

MASOVIA.

IN Meditullio quasi Regni *Poloniæ* sita est *Masovia*, *quatuor* satrapiis distincta, *Plocensi* nimirum Palatinatu, *Podlachico*, & eo, qui peculiariter *Masoviæ* nomen retinet, atque Terra *Dobrinensi*.

Masovia ipsa, quæ *Episcopum* nullum, *Palatinum* autem *Generalem* habet, atquè *Castellanos septem*, *Cernensem*, *Varsaviensem*, *Visnensem*, *Visegradensem*, *Zacrocimensem*, *Ciechanoviensem*, & *Livensem*. In spiritualibus autem, partim subest Episcopo Posnaniensi, partim Plocensi, partim Luceoriensi. Et quia ampla provincia est, ideo in *duodecim territoria* dividitur, in *Cernen*-

se, Visnense, Zembroviense, Varsaviense, Nurense, Vissegrodiense, Zakrocimense, Ciechanoviense, Lomzense, Rozanense Macoviense, & Livense. Prætereque prædicta oppida, quæ suorũ territoriorum capita sunt, habet complura alia notabilora multo, ut *Pultoviam*, Episcopi Plocensis residẽtiam latericiis domibus, & arce in scopulo pulchr e exstructa, hortisquè ac pomariis amœnissimis nobilem, quasi in insula *Narvæ* navigabilis fluvii sitam, in qua & *Societatis JESU* Clerici insigne studium habent, & Collegium Canonicorum Templum magnificum benequè provisum.

SAMOGITIA.

SAtrapiam ea nullam habet, sed *Præfecturas* permultas: summusquè ejus *Toparcha*, vulgò *Capitaneus* locum in Senatu Regni, cum *Episcopo & Castellano*, habet, cum præter ipsum, nullius urbis, aut regionis *Præfecto*, locum habere in *Senatu* liceat, nisi fuerit aliquâ aliâ dignitate majore ornatus: puta *Cancellarii*, *Marschalci*, *Palatini*, aut *Castellani*. Regio hæc satis ampla & fertilis est, sed sylvis tota inumbrata: à septentrione *Livoniæ* contermina, mariquè *Balthico*: ab Occidente *Prussiam Ducalem* in vicinia habet: à meridie & ab ortu *Lithvaniæ* adjacet. Civitates tam Regias, quam nobilium cõplures habet, sed penitus omnes ligneas: præter *Counam*, ad *Cronenis* seu *Nemini* littus sitã, Collegio *Societatis JESU*, & Monasteriorum celebritate illustrîs; in qua *Germani* mercatores, supe-

ſuperiori ætate lateribus & lapidibus elegantius ædificare cœperunt: nunc reliqui incolæ quoquè eodem ſtudio tenentur, illoſquè ſuperare contendunt. Sed turba in humilibus caſis habitat, quæ ut plurimum ad lacus, rivos, & flumina ſitæ ſunt, ſtramentis aut aſſerculis intectæ: præter prædia domosquè nobilium, quæ ampliores ſunt & cultiores. Terram non ferro ſed ligno proſcindunt, quæ tamen non eſt arenoſa, ſed tenax & fertilis ſatis. Equos adeò parvos habent, ut vix credibile ſit ad tantos labores eos poſſe ſufficere, quibus foris in bello ad trahenda onera, domique in colendis agris utuntur. Epiſcopum habent *Romanæ* obedientiæ, qui, uti diximus cum ſuo *Caſtellano & Capitaneo* ad *Senatum* Regni pertinet, & Cathedram ſuam atquè reſidentiam *Mednicia* tenet.

LIVONIA.

ULtimò, Regno *Poloniæ* acceſſit *Livonia* ſeu *Lieflandia*, regio ampliſſima, ſiliginisquè & frumenti perdives, pecoribus ac jumentis domeſticis omnis generis maxime abundans (quæ omnia deinde fluviis *Duina & Nerva* ad portus maris, atquè inde in *Hollandiam*, *Scotiam*, & *Angliam*, transmittit) lacubus fluviiſquæ piſcoſis, & ſylvis ad venationem idoneis referta: in quibus habet urſos, alces, vulpes, lynces, marturos, caſtores, & omnis generis animalia, quæ ex *Moſcovia* veniunt; Siquidem eam ab oriente contiguam ſibi habet, & *Nerva* tantum flu-

viô ab illa separatur. A septentrione cum *Sueciæ* regno & *Finlandiæ* Ducatu, per maris *Balthici* sinum viciniam gerit: ab occidente nonnihil *Prussiæ* adhæret. A meridie verò *Samogitiæ* & *Lithvaniæ* jungitur. Extenditurque in longitudinem nonaginta milliaribus Germanicis, in latitudinem verò quinquaginta. Et dividitur in *octo territoria*: *Leitlandiam* videlicet, *Vikelandiam*, *Curlandiam*, *Semigaliam*, *Estlandiam*, *Virlandiam*, *Hariam*, *Gervandiamquè*: quæ singula nunc bellis per tot annos sævientibus cum *Sueco* atrocissime vastata sunt, & à diversis principibus possidentur, hoc est à *Mosco*, *Sueco*, *Dano*, & Rege *Poloniæ*, qui præcipuas ibi arces & civitates possidet: habetquè in ea *septem Senatores* ad Consilium regni generale pertinentes, puta *Palatinum*, *Castellanum*, & *Episcopum Vendensem*, *Palatinum* & *Castellanum Parnaviensem*, & *Palatinum* atquè *Castellanum Derpatensem*, ac præterea vasallum non contemnendum, Ducem *Curlandiæ* & *Semigaliæ*. *Riga* totius Provinciæ metropolis, quàm fluvius *Duina* amplissimus, una cum arce alluit: urbs ipsa muro firmissimo, propugnaculisquè & turribus densis undique munita; item, vallo inexcusso, tribus ordinibus tormentorum apto, fossisquè duabus ex utraquè parte circumducta, & stipitibus acutis circumsepta: Instrumentisquè insuper bellicis, ac tormentis æneis, & commeatu copioso, tum militibus stipendiariis, pacis & belli tempore bene provisa. Magnum in ea est & celeberimum emporium: & quam

vis duobus milliaribus distet à mari, naves tamen omnigenæ, facillime de mari sub ipsa urbis mœnia deveniunt & redeunt. Ubi verò fluvius mari illabitur, & arx *Dunamunda* inexpugnabilis, natura opportunitatequé loci, duobus à *Riga* milliaribus. In ea omnes naves ex ultra marinis regionibus venientes, merces suas indicare, teloniaque persolvere coguntur: iterumquè excutiuntur in *Blokaus*, munitione sita medio loco inter *Rigam & Dunamundam*. Hæc igitur tam dives atquè potens urbs, diversas hœresum Sectas in se continens, moleste ferebat valde, quod piissimus Rex *Societatis JESU* Clericos illis dedisset, & Collegium pro instituenda juventute in urbe fieri jussisset. Similiter quoquè *Pernaviæ*, *Derpati & Vendæ*. Quare metuentes sibi, ne cura horum patrum, hæresis ipsorum exstirparetur, tempore quò nos cum *Turca* bello gravissimo in *Valachia*, occupati fuimus, concitatis circum vicinis urbibus ad rebellionem, *Suecum* ad se cum exercitu evocarunt, & ut fautorem ac promotorem suæ religionis portis apertis admiserūt; unde nobis postea bellum cum ipso difficillimum, non in *Livonia* modò, verum etiam in *Prussia*, simili scelere hæreticis urbibus eum ad se evocantibus per annos aliquot duravit.

INGENIA POLONORUM.

INgenia *Polonorum* sunt aperta & candida, utquè *Joannes Boterus*, in suis *Relationibus* inquit, falli, quā fallere magis apta, minimequè

proterua aut pertinacia, ſed tractabilia & placida: unde imprimis exemplis commoventur. Sunt autem *Principibus & Magiſtratibus* ſuis ſatis morigeri æque omnium provinciarum populi, & ad comitatem, civilitatem, benignitatem, & hoſpitalitatem prompti, ita, ut ignotos & externos non modò libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam invitent, & omni officio proſequantur: Et non ſolum ad convictum atquè familiaritatem quorumlibet faciles, verū etiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus vivunt, externorum præſertim, flexibiles. Teneram ætatulam literis addiſcendis impendunt, ut *vernacula & Latina* lingua legere & ſcribere ſciant: unde ne in medio quidem *Latio* tam multos reperias, cum quibus latine loqui poſſis, & ubi tam in *Cancellaria* Principis, quam in curiis *Parlamentorum*, inferiorumquè omnium judicum ſubſelliis cauſas deciſas& munimenta lingva Latina deſcripta videas. Adultiores, ſi plebeii ſunt, agrorum cultivationi, opificio,aut mercaturæ ſeſe addicunt: nobiles verò, militiæ, ſacerdotio, & miniſteriis opulentiorum. Utriquè autē libenter peregrinantur, & earum gentium linguas ad quas perveniunt, cupide & facile diſcunt. Sunt enim docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: ſed tamen alienis inventis[perdiſcendis ea magis accomodant, quam ut novi aliquid ipſi excogitent, & excellere magnopere ulla re ſtudeant. Nihilominus non defuere nobis inſignes *Mathematici*,

thematici, Astrologi, Dialectici, Oratores, Poëtæ, Philosophi; tum *Medici, Jurisconsulti* atquè *Theologi*, qui & Rempublicam & Ecclesiam, ingenio suo atquè scriptis illustrarunt. Ac supersunt etiamnum clara patriæ suæ lumina, quorum monumenta quanquam nondum in lucē prodierunt, laude tamen quam merentur non carebunt.

In opificiis attamen nostrates minus elaborant, sed externis plerisquè opificibus antiquitus usi sunt, & utuntur etiam nunc non paucis.

Rem porro familiarem diligentius curare, non ita pridem occœpimus, idque ab extraneis, passim quæstus causa de nos concurrentibus, concitati; unde velut invidia quadam, parandis divitiis & avaritiæ totos jam nos ita dedimus, ut quod olim *Senatoris* filiæ *centum marcarum* dos fuerat, nunc simplicis alicujus nobilis filiæ (quinimo & mercatoris jam) *centum millium* florenorum dos esse selet.

Et non modo præstantiores genere, exoticis pannis & pellibus utuntur, verum etiam inferiores & plebeii serico, purpura, & auro vestiuntur: passimquè jam equos argento exornari, in vasis argenteis comedere, argento altaria etiam in villis & pagis onerare, argentoquè, auro, margaritis & gemmis vestiri mos inolevit, nec restat aliud nisi ut aurum & argentum comedamus; Cum majores nostri satis haberent, si ex agris & prædiis suis honeste cum familia viverent, non luxum externorum aut splendorem consectarentur: Unde litium

nunc

nunc origo & civium assiduæ discordiæ. Nec rei militaris tanta cura, quanta superioribus sæculis exstitit, cum quisquè privatum commodum sectetur, & cupiditate ductus lucrum non gloriam aut famam bonam quærat. Extitere tamen semper, & etiam nostra hac ætate, multi virtute bellica præstantes viri (de quibus sigillatim, prout & de viris eruditis, scripsimus) ut *Moschoviticis*, *Livonicis*, *Tartaricis*, *Turcicisque* expeditionibus, atq; hoc ultimo bello *Prussico*, videre licuit. Nec emarcuit vulgo in *Polonis* vigor ille animorum, laudisquè bellicæ studium, si modò virtuti sua præmia non deessent.

NOBILITAS PRÆROGATIVA.

POpulus *Polonus* in equestrem ordinem sive Nobilitatem, atquè plebem distinguitur primo; deinde in Ecclesiasticum & sæcularem statum. Nobilitas ad regimen atquè defensionem patriæ segregata, plebs ad agriculturam, mercaturam, & opificia: ex utrisq; autem ad colendum DEUM sacerdotes fiunt. Nobiles antiquitus vocabantur milites, nunc communissime dicuntur Equites, ab equestri militia, cui sunt obnoxii. Habentquè multas & magnas prærogativas, quæ partim *Regum* & principum munificentiâ firmatæ sunt, partim moribus & institutis invaluere. Censenturquè ii tantùm nobiles esse, quorum majores virtutis ergo in eum ordinem allecti, gentilitio

signo

ſigno donati ſunt: aut qui nunc ipſi hoc meruere virtute ſua, & publico Ordinum Regni conſenſu, militiæ à principe ſunt adſcripti. Præſtabilius tamen habetur, nobilem natum eſſe, quam factum. Naſci autem patre ſimul & matre nobilibus oportet, legitimo conjunctis matrimonio; quia nothi nobilibus quamvis & illuſtribus orti, non cenſentur in familiis, neq; nobilitatis prærogativis fruuntur. Porro amittitur nobilitas his duobus modis, Principis decreto nimirum, ob admiſſum dedecus, & atrox aliquod facinus, & ſordidi quæſtus cupiditate; ſi quis videlicet deſertis militiæ & agriculturæ ſtudiis, mercaturam amplectatur, aut cauponationem artemve aliquam mechanicam exerceat. Eſt autem pari dignatione omnis Polonica nobilitas: nec ullum patritiorum, Comitumque, aut Ducum diſcrimen; omnes jure æquali & libertate gaudent: omnes una ſimul *Regem* ſibi eligunt. leges in Comitiis per ſuos *Tribunos* ſanciunt, bella vicinis indicunt, fœdera cum illis ſtatuunt, tributa imponunt, cudendæ pecuniæ modum præſcribunt, & omnẽ penitus Reipub: adminiſtrationem in manibus ipſi habent. *Rex* tantum cùm *Senatu* judiciis & deliberationibus præſidet, & quæ illi concluſerint moderatur, & ſua authoritate pondus addit, nomenquè tabulis & titulum Regium præſcribit. Item, honores & beneficia diſtribuit, magiſtratus creat, & bonos præmiis pro libitu, malos verò pœnis, nonniſi cum ſcitu omnium Ordinum regni afficit; ne fortè, ſi ipſe vitæ

&

& necis jura teneret, ad tyrannidem prolaberetur. Unde neminem è nobilitate captivare potest, etiam in crimine perduellionis, nisi jure convictum: nec captum capite plecti, nisi sententiis *Senatorum* rogatis; qui itidem sunt ex nobilitate delecti, & paribus prærogativis cum illis vivunt. Quare multos ex humili loco ac tenui fortuna videbis, non modo ad mediocres, verùm etiam ad summos nonnunquam honores, amplissimasquè facultates & opes, *Regum* beneficentiâ, ob virtutem provectos, paucos autem ob scelerum atrocitatem ab illis punitos: quod à nobilitate maxima semper honestatis ratio habeatur, etsi in summa paupertate fraudem facere, promissum fallere, pejerare, mentiri, probrosum & infame est: & si quid ejuscemodi in probri loco cuiquàm obiiciatur, præsertim ab ejusdem ordinis viro, non tam legibus & magistratuum judicio, quã ferro manuque vindicatur. Cum autem *Rex* causas & actiones nobilium, per appellationes ad judicium suum devolutas, expedire ob occupationes, quæ illi semper maximæ, non usquequaquè potuisset, consultum illi esse volentes justitiæ & rebus suis, eam judiciorum formam, non ita pridem adinvenerunt, quæ alibi *Parlamentorum* est, apud nos *Tribunal* appellatur: quo singulis annis, ex singulis provinciis omnium consensu viri è nobilitate præcipua eliguntur, & ad loca jam perpetuo destinata mittuntur, ut causarum differentias secundùm leges & statuta decidant. Quod cum

sit

fit ultimæ instantiæ, provocatio ab eo non datur, nisi ex paritate sententiarum causa aliqua remittatur ad Comitia: *Regi & Senatui* discutienda atque determinanda: Cum extra Comitia, *Rex* fisci tantum causas cognoscere potest, aut differentias inter tenutarios in bonis suis regalibus: tum quoquè civitatum, oppidorumquè Regni controversias, quæ jure *Saxonico* utuntur. Quod si *Rex* quandoquè ab officio suo deflecteret, & vel in judiciis, vel in aliis rebus ac modis, publicas libertates suorum opprimere aspiraret, authoritate *Senatoria*, qui ad hoc attentandum juramento sunt obligati, & per vices in Regia manere tanentur, facile prohibetur: sæpiusquè illi acerrime sententias dicunt, cum de Repub: deliberant, & *Regem* imprudentius regnantem objurgant, atque sic uno consensu sanctissima majorum instituta & communis patriæ charissimas leges, ad extremum vitæ defendunt.

LEGES & STATUTA.

LEges olim Poloni scriptas nullas habuêre, sed ab origine imperii, usque ad *Casimiri Magni* tempora, jus omne in Principis arbitrio erat, Licetq; ante ejus tempora, & Christiani jam per longam ætatem fuissent, & literarum scientias optimè callerent, ut passim in *Senatu & Magistratibus* tam sæcularibus quam Spiritualibus reperiuntur, Doctores legum & artium magistri, prout in veteribus monumentis cuiquè videre licet: Nusquam tamen lex aliqua

aut

aut ſtatutum Principis ſcripto promulgabatur, ſed moribus tantum & conſuetudinibus antiquis regnum adminiſtrabatur: lites verò & cauſæ privatorum, arbitrio bonorum virorum determinabantur, qui Principis juſſu, provinciarum judices erant. *Caſimirus* itaquè *Tertius*, ob prudentem Regni adminiſtrationem, *Magnus*, cognominatus, primus ipſe & nobilibus leges certas ſcriptas dedit: & urbicæ plebi jura à vicinis *Saxonibus* accipere ex facili permiſit, quod aſſiduis ſupplicationibus *Germanorũ*, qui paſſim tum in *Poloniam* habitatum lucri cauſa veniebant ſollicitaretur, ut ſimilem patriæ ſuæ urbium adminiſtrationem haberent, & inter *Sarmatas* jurium ignaros, *Conſulum & Advocatorum* honore, advenæ eminerent. Atquè hinc mos invaluit, ut omnes *Poloniæ* civitates, in hodiernum jure *Saxonico* (quod vulgo *Magdeburgenſe* vocatur, quia ex illa metropoli tũ *Saxoniæ* urbe fuit allatum) tum *plebiſcitis* quælibet propriis, & *Conſtitutionibus Regiis*, utantur. Nobiles autem, tam ad regimen politicum, quam ad privatorum cauſas determinandas, *jus peculiare* ſuum habent: partim à *Regibus* ſuperioribus, qui poſt *Caſimirum Magnum* usquè ad ætatem *Sigiſmundi Auguſti* incluſive regnarunt, vigore legis traditum; quod volumine ſingulari à viris doctis complexum, *Statutũ Regni* vocatur: partim quod recentioribus & noſtris jam temporibus, ipſimet ſibi in Comitiis publicis, approbantibus tamen *Regibus* cum *Senatu*, conſcripſerunt, & vocantur

Con-

Constitutiones. Quæ pro rei & temporis exigentia, sæpius immutantur, abrogantur, aut reassumuntur, omnes ex æquo provincias regni obligando, licet nonnullæ jura sua pragmatica habeant; præsertim *Lithvania & Volhynia*, quæ in decisionibus causarum propria statuta sua observant: tum *Prussia* quoq;, *Ducalis* juxta ac *Regia*, quæ omnis fermè *jure municipali* utitur, quod vulgo *Culmense* vocatur; tribus civitatibus exceptis, *Elbinga*, *Brunsberga & Frauburgo*, quæ *jus Lubecense* amplexæ sunt.

REGIMEN
POLITICUM.

POloniæ regimen est cõpositum de *tribus* primis & simplicibus Rerumpub: formis, quæ vel *unius*, vel *paucorum* imperio, vel *multorum* omniumve quadam æquabilitate juris continetur. Habemus siquidem *Regem*, non successione, sed electione creatum, qui est absolutus executor legum in Comitiis factarum. Habemus *Senatum*, è præcipua nobilitate selectum & ad custodiam earundem legum deputatum. Habemus *Municipales Nuncios* liberis unius cujusquè provinciæ suffragiis electos, & ad statuendas in Comitiis leges, velut *Tribunos* aliquos designatos, qui & *Regis* potentiam, & *Senatus* nimiam authoritatem restringunt.

Et sic unanimi omnium studio, certis sane iisquè angustis finibus, regia potestas, in sacrum & equestrem ordinem, & utriquè subje-

ctos homines, atquè bona, circumscripta est. Ac in sacerdotes quidem, jam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ, *Rex* nihil prorsus juris habet. De equitis verò capite & fama, non nisi in comitiis cum *Senatu*, judicat: certis aliquot causis exceptis. *Senatu* verò & *Tribunib*: inconsultis, nequê bellum cuiquam facit, uti supra, diximus, neq; fædus publice cum quoquam init, neque tributa, vectigalia ac telonia nova instituit, neq; leges novas scribit, aut monetam signat, neque alienat quidquam de bonis regni, neque transcribit quemquam in ordinem equestrem, neque rem ullam majorem ad Rempub: pertinentem statuit aut facit. Bene autem ipse *Episcopos & Abbates* nominat, *Palatinos, & Castellanos, Marschalcos, Cancellarios, Thesaurarios, Ducesquè* militiæ creat, reditus coronæ dispensat, & præfecturas distribuit, Comitia indicit, magistratusq; omnes & judices eligit. Deniquè universos Reipub: honores, solus prout illi placet & lubet confert: habetquè in manu omnes modos remunerandi, beneficioquè afficiendi quoscũquè voluerit.

RELIGIO.

CHristianam religionem *Polona* gens, abjecto semel impio dæmonum cultu, *septingentis* circiter jam annis constanter retinet, religiòseq; colit, hæreticarum novationum insolens & impatiens, avorum nostrorum ætate, quan-

do

do *Hussus* & *Viclefus* virus suum in *Bohemia* diffundebant. Sed postquàm *Lutherus*, cum aliis suæ farinæ hominibus, patrum nostrûm memoria, per totam *Garmaniam* zizania disseminavisset, quæ nobis vicina est, & commercia fere quotidiana nobiscum habet; prætextu seu verius abusu libertatis, nescio quæ non pestes *Poloniam* invaserant, infecerantquè mentes hominum nostrorum, ut per annos complures diversi diversa de religione sentirent, & quisquè se judicem & interpretem scripturarum putaret. Sed nunc iterum DEO bono favente, in toto Regno *Poloniæ* religio Catholica præcipua est; nec in *Senatum* admitti, aut ad minora subsellia vocari quisquam potest, nisi Romanæ professionis. Et majores nostri, tantæ pietatis statim à recepta fide fuerunt, ut Ecclesiarũ Antistites in *Senatu* locũ,eumq; primũ habere voluerint, ut õnibus consiliis adhibiti præsentes, diligenter pro suo munere animadverterent, ne quid in legibus, aut moribus populi contra Ecclesiæ sancita peccaretur. Eandemquè ob causam etiamnum *Tribunalitiis* judiciis seu *parlamentis*, minoris Ordinis mystas, è singulis Cathedralium Capitulorũ Collegiis, piissimi Reges interesse jusserunt, sanctioribusquè curis Regni & scripturis, prisco more, vel maxime tum, cùm pertinacissimi hæretici, Antistites è *Senatu* eiicere conarentur, cùm maxima potestate præfecerunt, ita, ut & *Cancellarii* & *Pro-Cancellarii* munus, alter-

natis vicibus penes *Episcopos* maneret. *Majorquè Secretarius* Regni semper ex *Ecclesiasticis* esset; frustra reclamantibus adversariis fidei, qui sub extremam ætatem *Sigismundi Augusti* Regis sapientissimi, & potissimum interregnorum tempore nimium invaluerant: Cæterum diligenti vigilantia sanctissimorum Præsulum, sapientiumq; Regum studio (maximè verò pietate Divi *Sigismundi III.*) vix non omnes jam eradicati fuerunt. Verum *Græcanici* ritus homines, in *Russia, & Lithvania*, passim legibus antiquis tolerantur, sicut & *Armeni*: partim Pontifici Romano per obedientiam subjecti, partim non; qui Episcopos suos, & complures Abbates habent: & ritibus atquè institutis Ecclesiasticis magis, quam dogmatibus religionis à nobis dissentiunt. Sunt quoquè & *Hebræi* passim in toto regno, & *Scithæ*, *Mahometani* in *Lithvania & Volhynia*, qui suos quoq; ritus & superstitiones habent; sed qui neminem à fide Catholica avocant, aut malo suo exemplo inficiunt, ut assolent Hæretici. Fides igitur Catholica in toto Regno præcipua habetur, magnusquè ut par est, omnibus sacerdotibus honor habetur, solo sacerdotii nomine: & omnes Romanum Pontificem, ut summæ sedis Episcopum, ut omnium Episcoporum patrem, ut universalis Ecclesiæ caput, ut Apostolicum reverenter agnoscunt.

§. II.

§. II.

De mappa Geographica Imperii Germanici.

1. *Quis hujus situs? qui termini?*

Meditullium ferme Europæ tenet, atque ad Septentrionem Mari Germanico, & Baltico: ad ortum Hungariâ, & Poloniâ: ad Austrum Italiâ, & Helvetiâ: ad occasum Galliâ, & Belgio terminatur.

2. *Quæ Germaniæ magnitudo?*

Ab occasu ortum versùs ad ducenta; à septentrione meridiem versùs ad centum quinquaginta; toto verò ambitu suo ad sexcenta milliaria Germanica complecti dicitur.

Qui præcipui Germaniæ fluvii?

Hi quatuor; Danubius, Rhenus, Albis, & Odera, sive Viadrus. 1. Danubius omnium Europæ maximus, oritur in arce Doneschingēsi Furstenbergicæ ditionis, indeq; Ulmam (ubi Ilerâ amne auctus lintrium patiens est) Dilingam, Donawerdam, Neoburgum, Ingolstadium, Ratisbonam, Straubingam, Passavium, Lincium, Viennam, &c. præterfluens, ampliùs sexaginta fluviis celebrioribus receptis, in Pontum Euxinum se exonerat. 2. Rhenus in monte Adula sive S. Gothardi binis fontibus, quorum Borealior *Rhenus anterior*. Australior *Rhenus posterior* nuncupatur, scaturiens, perq; lacum Acronium, qui & *Constantiensis, Brigantinus, & Podamicus* appellatur, suum profe-

quens cursum, Scaphusiam, à qua haud procul absunt cataractæ Rheni majores, & Laufenburgum, ubi cataractæ minores, Basileam, Brisacum, Argentoratum, Spiram, Wormatiã, Moguntiam, Coloniam, &c præterlabitur, donec in Belgio in alia atquè alia divisus cornua inter arenarum tandem cumulos absorbetur. 3. Albis in Bohemiæ, & Silesiæ limitibus nascens, Dresdam, Misenam, Wittembergam, Magdeburgum, & Hamburgum præterfluit, ac demum vastissimo Ostio in Oceanum Germanicum se effundit. 4. Odera in Silesiæ, & Moraviæ confinibus ortus Silesiam, & Marchiam Brandeburgicam rigat, inq; Pomerania citeriore in aquarum sinum, sive lacum diffusus, tribus Ostiis mari miscetur Baltico.

4. Quæ porro terræ indoles?

Frumento, vino, pascuis, pecoribus, feris, leguminibus, arborum fructibus omnis generis: metallis item & mineralibus, rebusquè cæteris ad vitam non commodè tantùm, sed delicatè quoq; ducendam abundat.

5. Qui Germanorum mores?

Ad artes, & scientias omnes apprimè sunt idonei, utpote ad quas nec ingenium ipsis, nec industria deest. Typographiam, Chalcographiam, pulverem nitratum, bombardas, aliaquè plurima Germani invenêre. Fortitudine porrò ac virtute bellica ita semper præstabant ut idcirco Germani, quasi *prorsus viri*, & Allemanni, *omnes viri* fuerint cognominati. Admirationi olim omnibus erat adolescentum continentia,

tinentia, conjugatorum fides thori inviolabilis, candor, fidelitas, sinceritasq; summa, & immota præcipuè in Orthodoxa Religione constantia. Sed fidem propè superat Germanorum in fundandis dotandisq; Templis, Monasteriis, Sacerdotiis; Xenodochiis, aliisq; pietatis monumentis liberalitas, & munificentia, quàm vel saxa ipsa hodieq; loquuntur. At verò laudes has plurimùm obscuravit cùm luctuosissima illa tot millium Germanorum ab avita fide, religioneq, Orthodoxa defectio; tum inconsultū prorsus peregrinas uti vestes, ità & mores imitandi studium. Unde aliarum nationum simii haud injuriâ appellari solent, qui utinam earundem potiùs virtutes, ac prærogativas, quàm vitia, & abusus æmulari studerent.

6. Quæ in Imperio Germanico regiminis forma?

Monarchia, Aristocratiæ permixta.

7. Quæ ibidem Religio?

Fuit hæc inter præcipua inclytæ Germaniæ decora, quòd jam indè à tempore illo, ex quo nomen dare cœpit Religioni Catholicæ, constantiâ verè Germaniâ in eadem semper perstantiâ in eadem semper permanserit immota, *fidei ac labii unius*, quo ad Lutherus impia novarum rerum molitione confusionem plùs quàm Babylonicam, & chaos horrendum invexit. Unde factum, ut in luctuosissima alia rerum omnium conversione, ac perturbatione secta quoque Lutherana, & Calviniâna pluribus in locis Religionem Catholicam antiquissima sua statione, quàm per tot sæcula tenuit, dejecerit.

8. Qui Ordines, Statusque Imperii Romano Germanici?

1. Imperator tanquam Caput. 2. Electores Sacri & Profani. 3. Archiepiscopi, & Episcopi. 4. Ordinum Magistri. 5. Duces ac Principes laici. 6. Principes Abbates, & Præpositi. 7. Abbates, & Antistites non Principes. 8. Imperii Comites. 9, Equites, & Nobiles. 10. Urbes Imperiales.

9. Quæ Imperii Germanici divisio?

Hoc Maximilianus I. An: 1512. divisit in decem, ut vocant, *Circulos*, quorum tres: Austriacus nempe, Bavaricus, & Suevicus Danubio; tres: Rhenanus nimirum Superior, & Inferior, ac Westphalicus Rheno; tres item: Franconicus, Saxoniæ Superior, & Inferior Mœno, Albi, & Oderâ fermè circumscribuntur. Circulum Burgundicum, qui Burgundiæ antehac Comitatu, à Gallis postea occupatum, & Belgii Provincias tum Batavorum defectione, tum armis Gallicis ab Imperio magnam partem avulsas, complectebatur, silentio prætermittimus. Circuli hujus Director erat Hispaniæ Rex.

§. III.

De magna Peninsula Scandia sive Scandinavia.

Quæ hæc Europæ pars?

Extrema Septentrionem versus, Sveciam, & Norvegiam complectens. Nos Daniam quoquè

què adjungimus, utpote conterminam, & eidem, cui Norwegia, Domino ſubjectam.

SVECIA.

1. *Qui Sueciæ limites?*

Ad Septentrionem Lappiâ Norwegicâ, ad Ortum Moſcoviâ, ad Auſtrum Mari Baltico, & Curlandiâ, ad Occaſum Norwegiâ clauditur.

2. *Quæ aqua?*

Mare Balticum. ſinusq; Bothnicus, & Finnicus, cum multis lacubus lociſq; paludoſis.

3: *Quæ aura?*

Perfrigida; attamen, in parte præſertim Auſtrali, ubi pauciores ſunt paludes, pura, oppidoquè ſalubris, ita ut non raro incolæ vitã ultra centum annos producant. Pars porrò Septentrionalior ob crebras paludes inſalubris eſt.

4. *Quæ. ſoli fertilitas?*

Id de Europa univerſa generatim dicendum, regiones Boreales eò minùs eſſe frugiferas, quò propiùs ad Polum accedunt; contrà quò longiùs indè recedunt, eò eſſe fertiliores. Superior igitur Sueciæ tractus cúm ob frigoris inclementiam, tum ob frequentes paludes ſterilis admodum eſt. Auſtralior verò, non obſtante ſex menſium peracri hyeme, tritico, paſcuis, ſylvis, cervis, alcibus, muſtelis alpinis, &c. abundat. Nec uſquam æris venas opulentiores reperias.

5. *Quæ præcipuæ Sueciæ partes?*

1. Gothia. 2. Suecia propriè dicta, 3. Lap-

bla Suecia. 4. Finnia. Ingria porro, & Livonia ditionis hodie sunt Moscoviticæ.

6. Quæ Regni Metropolis?

Holmia, quæ multis è Mari prominentibus scopulis cingitur.

7. Qui Suecorum mores

Sunt frigoris, Inediæ, laboris, patientes, robusti, bellicosi; imò & truculenti. Id quod maximo suo damno experta est Germania nostra, centum abhinc annis, quando in patriæ, Religionisquè Orthodoxæ excidium Sueci, à Germanis heterodoxis evocati, immanitate plús quàm barbara sæviêre in Catholicos.

8. Quæ regiminis forma in Suecia?

Olim nihil gravioris momenti licebat Regi suscipere, quin prius quatuor regni ordines, nempe Ecclesiasticorum, Nobilium, Civium, & Rusticorum in consilium, adhiberet, quoad anno 1680. Carolo XI. suprema ab iisdem potestas est concessa; quâ tamen à Caroli XII. obitu Ultica Eleonora, Regis defuncti soror, cum Friderico Hasso. Casselano, thori regniquè consorte, se denuo abdicavit.

9. Quæ ibidem Religio?

Lutheri ubiquè doctrina, velut Evangelium, recepta est.

NORVEGIA.

1. *Qui regni hujus termini?*

Ad Septentrionem, & Occidentem Oceanus Germanicus, ad Meridiem sinus Scagensis, seu Danicus, ad Ortum perpetuus montis tractus, quo à Suecia sejungitur.

2.

2. Quæ aquæ?

Occidentem versùs in Oceano Germanico eſt vortex ſive Euripus omnium maximus (vulgô *Mal-Strom*) qui naves onerarias, & vicina quæquè abſorbet.

3. Quæ terræ indoles?

Regio hæc ob deſerta, & inhoſpita teſqua, horridaq; montium altiſſimorum juga partem potiſſimam aſpera eſt, & inculta; frugum tamen ſat ferax, ubi ſolum culturæ patiens eſt. Arbores ibi prægrandes, malis navibuſq; fabricandis aptiſſimæ; æris item, magnetis, picis, pellium, ac piſcium, aſellorum præcipuè marinorum, qui in vicino Mari capiuntur, magna copia.

4. Quæ Norvegiæ partes?

Sex complectitur Provincias. 1. Bahuſiam, quæ Suecorum eſt. 2. Aggerhuſiam. 3. Bergenſem, ubi Berga Metropolis, Regni Præfecti ſedes. 4. Stavangriam. 5. Nidroſiam. 6. Wardhuſiam.

5. Qui Norvegorum mores?

Gens eſt rudis; in arte tamen fabrili probè exercitata, algoris, inediæ, ac laboris tolerans, piſcatuquè & venatione ùt plurimùm victitans.

6. Quæ eorundem religio?

Et hi Lutheri placita, tanquam dogmata Evangelica, amplectuntur.

7. Qui, qualeſquè Lappones?

Hi triplicis ſunt generis. 1. Qui ad Boream ſunt remotiſſimi, Daniæ Regi parent. 2. Qui

ad Ortum habitant, sub Moscorum sunt imperio. 3. Reliqui, iiquè potiores sinum Bothnicum versùs, Sueciæ Regi subsunt: genus hominum barbarum, sylvestre, superstitiosum, ac veneficiis infame, qui ventos navigaturis vendere dicuntur. Equorum loco rangiferos, cervis haud multùm absimiles, vehiculis jungunt, seu trahis, quibus brevissimo temporis spatio maxima conficiunt itinera.

DANIA.

1. *Quæ Regni hujus confinia?*

Ad Septentrionem, & Occidentem Mare Germanicum, ad Orientem sinus Scagensis, & Mare Balticum, ad Austrum Holsatia.

2. *Quæ aquæ?*

Præ cæteris memorandus sinus Scagnensis (aliis Codanus, aliis Danicus, Jutiam inter & Sueciam ac Daniæ insulas) ex quo triplex in Mare Balticum transitus, nempe 1. per fretum Balticum minus Jutiam inter & Finniam. 2. per fretum Balticum majus Fioniam inter & Seelandiam. 3. per fretum Sundicum (inter Helsingam Scaniæ, & Croneburgum Seelandiæ urbem) tam angustum, ut tormentis utrinquè incessi possint navigia, quæ hic vela demittere, & constitutum à Daniæ Rege portorium pendere coguntur.

3. *Quod cœli solique ingenium?*

Aura perfrigida est; terra frumento, pascuis, equis, ferisquè abundat.

4. *Quæ Daniæ Provinciæ?*

1. Jutia peninsula, olim Cimbrica Chersonesus. 2. Seelandia, & Finnia Insulæ majores, cum multis áliis minoribus.

5. *Quæ Regni Metropolis?*

Hafnia in insula Seelandia, ubi portus insignis.

6. *Qui Danorum mores?*

Navigationibus etiam remotis jam olim assueti, mercimoniis præcipuè dant operam, ad scientias æquè atq; arma tractanda idonei.

7. *Quod Regimen?*

Monarchicum.

8. *Quæ Religio?*

Verâ Evangelii doctrinâ repudiatâ, Luthero adhæsêre, non paucis tamen Catholicorum ceremoniis retentis.

§. IV.
MOSCOVIA.

1. *Qui Moscoviæ fines.*

Ad Septentrionem Mare habet glaciale, ad Occidentem Lappiam Norvegicam, Poloniam, & Sueciam, ad Austrum Tartariam minorem, Circassiam, Mare nigrum, & Caspium, ad Orientem Tartariam majorem, sive Asiaticam.

2. *Quæ aquæ?*

Fluvii Volga, Obius, Tanais, Dvina. &c. Lacus Ladoga longus 36. latus 20. milliaria Germanica, & Lacus Onega, qui longitudine 50. latitudine 18. milliaria complecti dicitur

3. *Quæ terræ indoles?*

Regio hæc ſpatiis ingentibus diffuſa in mediterraneis ferè plana eſt; ad oras verò maritimas in montes aſſurgit altiſſimos, plena paſſim ſylvis, lacubus, & majoribus fluminibus, quorum aquæ ingenti labore ſumptuq; at non minore operæ pretio compendioq; per factitios alveos ſive *Canales* jungi nuper, committiquè cœpere, ut indè in Mare Balticum, & Caſpium, Pontumquè Euxinum navibus liber pateat' acceſſus. Aura potiorem anni partem frigidiſſima eſt, quam æſtas ſubinde excipit tã fervida, ut ferant alicubi ineunte Junio, Julio exeunte metant. Feris ſylvæ abundant. Loca deſerta non pauca, in Siberia præſertim, ubi pretioſæ murium Ponticorum, & Muſtelarum Scythicarum pelles, quas ut integras ſervent, beſtiolas illas telis obtuſis, inq; naſum ferè directis, dejiciunt ex arboribus.

4. *Quæ Moſcoviæ partes?*

Quatuor præcipuæ 1. Ruſſia Occidentalis. 2. Ruſſia Orientalis. 3. Tartaria Maſcovitica. 4. Lappia Moſcovitica, quibus aliæ multæ Provinciæ nuper Suecis ereptæ acceſsêre, nempe Livonia, Ingria, Careliæ pars, ubi mediis in aquis Sinûs Finnici ad Nievæ oſtium An: 1703 ædificari cæpta eſt urbs longè municiſſima Petresburgum, ut taceam urbes regionesquè alias Perſico bello partas.

5. *Quæ Metropolis?*

Moſcua, quæ omnium Europæ urbium ampliſſima eſſe perhibetur ad Moſcum amnem.

6. Qui incolarum mores?

Gens hæc rudis omnino erat, barbara, & inculta, quoad Petrus I. poſt varias Europæ regiones peragratas bonarum artium diſciplinas, cumquè his mores pariter cultiores politioresquè haſce in terras cæpit invehere.

7. Quæ ibidem regiminis forma?

Imperiosa prorſus ac deſpotica; nam ſubjecti omnes perinde habentur atquè mancipia, quorum & bona omnia, & vita ipſa è Czari pendet arbitrio. Nequè plebeii ſolum, ſed & optimates ob lævia ſæpe delicta ſi non morte, fuſtuario certè mulctari ſolent.

8 Quæ Moſcorum religio?

Hic cum Græcis Schiſmaticis fermè conveniunt.

§. V.

TURCIA EUROPÆA.

I. *Quos hæc habet terminos.*

Ad Septentrionem Poloniam, & Hungariam; ad Ortum Pontum Euxinum; ad Auſtrum Mediterraneum, ad Occaſum Mare Adriaticum.

2. Quæ præcipuæ ejuſdem partes?

1. Bulgaria, Beſſarabia, Thracia, ſive *Romana*, Græciaquè univerſa, quæ uno omnes nomine *Romelia* appellantur, atquè à ſupremo Præfecto *Beglerbeg* dicto, cujus ſedes urbs Sophia Bulgariæ Metropolis, adminiſtrantur. 2. Boſniæ, Croatiæ, Dalmatiæ, & Serviæ pars

3. Insulæ Creta, sive *Candia*, centum olim urbibus frequens, & Eubœa vulgo *Negroponte*, cum aliis Archipelagi Insulis, quarum plerisquè nova hodie nomina indidêre. Has inter est Insula Pathmos, sive *Palmosa*, ubi S. Joannes Apocalypsin scripsit.

3. *Quæ Imperatoris Turcici sedes?*

Adrianopolis primùm, donec sedes regia Constantinopolim (Turcæ Stambol vocant) Anno 1453. à Mahomete II. captam est translata.

4. *Quæ Turcarum ingenia?*

Gens hæc atrox, truculenta, & barbara, ad regnorum, bonarumquè artium excidium nata, non propria virtute, sed Principum Europæorum dissidiis, gravissimisquè Pseudochristianorum præcipue ipsis adeò Turcis pejorum, flagitiis ad tantum dominationis fastigium est, grassata.

5. *Quæ Turcarum religio?*

Nefariis omnes impii Mahometis superstitionibus sunt dediti, quibus immisti Schismatici Græci, Deo & Ecclesiæ rebelles, miseram serviunt servitutem

6. *Quæ celebriores antiquæ Græciæ Provinciæ?*

1. Macedonia, ubi Thessalonica, hodie *Salenichi*. 2. Albania, sive *Arnaut*. 3. Epirus. 4. Ætolia, ubi Actium promontorium. 5. Achaja, nunc *Livadia*, ubi olim Athenæ urbs Academia toto orbe celeberrima, mons Parnassus, aliaque antiquitatis monumenta. 6. Thes-

salia, sive *Janua*, ubi Campi Pharsalici, amœnissima Tempe, mons Olympus, &c. 7. Peloponnesus, sive *Morea*, ubi Corinthus, Sparta, &c, fuerat.

7. Quis Græciæ hodiernæ status?

Nobilissima hæc regio, omni antehac disciplinarum genere longè excultissima, sedes nunc est ignorantiæ, meraquè barbaries.

8. Quæ terræ fertilitas?

Hæ aliæq; Turcicæ ditionis Provinciæ erant olim cultissimæ, rerumq; omnium affluentiâ refertissimæ; quæ tamen hodie ob incolarum, vel inscitiam, vel inertiam magnam partem neglectæ jacent.

§. VI.

BRITANNIA

I. *Qui hujus situs?*

Undiquè Mari cingitur, ad Septentrionem Caledonio, ad Occasum Hibernico, ad Austrū Britannico, ad Ortum Germanico, ubi Batavi magnum quotannis quæstum ex halecum captura faciunt.

2. Quæ Britanniæ divisio?

Insula hæc, omnium Europæ maxima, Angliæ, & Scotiæ regna complectitur, & Britannia magna appellatur. Huic Occidentem versùs adjacet Hibernia, quæ cum pluribus aliis insulis minoribus Britanniæ Regi subjecta est.

3. Qui fluvii præcipui?

In Anglia Tamesis, Tavus in Scotia, ubi

quatuor magna æstuaria, quæ Scoti *Fyrth* vocant, in Hibernia Senus.

4. *Quæ urbes primariæ?*

Angliæ Londinum, Scotiæ Edenburgum, Hiberniæ Dublinum.

5. *Quæ cæli affectio soliquè natura?*

In Anglia aura humidior, crassiorquè, temperata tamen. Terra ut ut fertilissima, vinum tamen non profert. Lana, stannum, & equi Anglici præ reliquis commendantur. Asperioris, & cœli, & soli est Scotia; unde minor frugum, maxima verò piscium, halecum præcipuè ac salmonum copia. In Hibernia ob crebros lacus, & paludes aër gravior, minusquè salubris est; prata tamen pecoribus, lacus piscibus, maximè salmonibus, abundant.

6. *Quis incolarum genius?*

Hi quamdiu religioni veræ adhæserant, miris passim laudibus efferebantur; at postquam ab ea defecêre, toti pariter à se ipsis degenerarunt. Adeò nempe si non unica, optima certè morum magistra religio est Orthodoxa, quæ si exulare cogitur, vera pariter virtus, honestas, politia, &c. exulet, necesse est. Quod si populo hujusmodi fœdifrago veræquè religionis desertori ferociores insuper animi impetus natura indidit, quid, nisi casus tragicos, turbulenta, dira, funesta quæquè expectes?

7 *Quæ regiminis forma?*

Monarchia, cum Aristocratica, & Democratica permista.

8. *Qui*

8. Quæ ibidem religio?

Catholica tantopere olim floruit, ut multæ Europæ Provinciæ, ac nostra præcipuè Germania primos Orthodoxæ Fidei Magistros, & Apostolos Britanniæ deberet. At verò post horrendum illud schisma ab Henrico VIII. Ecclesiæ DEI propugnatore primùm strenuo, dein hoste infensissimo introductum, merum diversarum sectarum chaos hodiequè lugentes conspicimus.

9. Quis antiquæ Britanniæ status?

Hæc Albion primùm, tum à Romanis victoribus Britannia appellata est. Præsidiis exinde Romanis ad Galliam defendendam avocatis, Britanni Anglos, Saxonum Coloniam, cōtra vicinorum hostium incursiones in subsidium advocârunt, à quibus strenuè primùm adjuti,, dein contra fidem datam patriâ pulsi, partim in extremum Galliæ angulum sedem nomenq; transtulêre, partim in montes Cambriæ (Walliam hodie vocant) se recepêre, retenta in hanc usquè diem antiquæ Britanniæ linguâ. Britannia subinde à novis incolis Anglis Anglia vocari cœpta est.

§. VII.

ITALIA.

I. *Qui ejus termini?*

Italia, ocreæ figuram referens, Septentrionem versùs à Germania, Helvetia, & Gallia, Alpibus submovetur; cætera verò mediterraneo undiq; Mari cingitur.

2. Qui fluvii præcipui?

Padus, quem Pòetæ Eridanum vocant, Tiberis, & Athesis.

3. Quæ terræ fertilitas?

Tanta, ut Europæ Paradisus appellari haud injuriâ possit; nam vinum generosum, poma optima omnis generis, sericum, resque alias ubertim suppeditat.

4. Quæ Italiæ divisio?

In superiorem, mediam, & inferiorem dividi percommodè potest. In parte superiore, seu Boreali septem sunt Ducatus, nēpe Sabaudia, Pedemontium, Mons Ferratus, Ducatus Mediolanensis, Parmensis, Mutinensis, & Mantuanus. Tres itèm Respublicæ, Veneta, Genuensis, & Lucensis. In Italiæ meditullio ditio est Summi Pontificis, & magnus Hetruriæ Ducatus: in parte inferiore, seu Australi regnum Neapolitanum. Italiæ circumjacent Insulæ majores: Sicilia, Sardinia, Corsica, & Melita, cum minoribus quibusdam.

5. Quæ urbs Italiæ primaria?

Roma, Imperii primùm profani, imò & veteris orbis universi caput; indè verò Imperii Ecclesiastici, non per veterem duntaxat, sed novum insuper orbem quaquaversus dilatati Metropolis, Summiq; Pontificis, & Christi in terris Vicarii sedes.

6. Quæ religio?

Sola hic religio Catholica sedem fixit stabilem, nullis unquam inferorum machinis evertendam.

7. Qui

7. *Qui Italorum mores?*

Perſpicaci ſagaciquè ſunt ingenio, ac rerum omnium capaci. Dicuntur tamen aſtuti, ſubdoli, gloriæ, vindictæ & pecuniæ tenaces non minùs quàm appetentes, ac medium quodammodo tenere Hiſpanicam inter gravitatem, & levitatem Gallicam.

8. *Quæ priſcæ Italiæ diviſio?*

Pars Italiæ ſuperior, ubi Pedemontium, Mediolanum, Parma, &c. Gallia *Ciſalpina*, ſive *Togata* vocabatur. Versùs Dominium Venetum erat Gallia *Transpadana; Ciſpadana* autem versùs agrum Florentinum. Omnis hic Italiæ ſuperioris tractus poſt Longobardorum irruptionem Longobardia dicta eſt. In media Italia erat Hetruria, ſive Tuſcia, Græcis Tyrrhenia, hodiernis Italis Toſcana. Campania Romana, cujus caput Roma, majorem Latii antiqui partem continet, ubi olim Latini, Sabini, Rutili, Volſci &c. Ducatus Spoletanus *Umbria* Marchia Anconitana Picenum nominabatur. In Italia inferiore erat 1. Samnium, ubi hodie Beneventum. 2. Campania Felix, ubi Neapolis, Capua, Nola, &c. 3. *Græcia magna*, Apuliam, & Calabriam, quæ inferior regni Neapolitani pars eſt, complectebatur. In antiqua Calabria erat urbs Tarentum. Hodierna Calabria Siciliam versùs protenditur.

§. VIII.

§. VIII.

GALLIA.

1. *Qui regni hujus limites?*

A Septentrione Mari Britannico (nautæ *Canalem*, Galli *la Manche* sive *manicam* vocant) parteque Bellgii; ab Occasu Oceano Atlantico; à Meridie montibus Pyrenæis, quibus ab Hispania sejungitur, & Mari Mediterraneo; ab ortu Sabaudiâ, Comitatu Burgundiæ, Lotharingiâ, & parte Belgii terminatur.

2. Qui celebriores Galliæ fluvii?

Sequana, Ligeris, Garumna, & Rhodanus.

3 Quæ cæli soliquè affectio?

Cœli temperies salubris; solum oppidò fœcundum, præcipuè in Provincia versùs Mare Mediterraneum, Vina Campana, & Burgundica passim commendantur.

4. Quæ Galliæ divisio?

Duodecim complectitur Provincias, quarum tres. Insula nempe Franciæ, Provincia Aurelianensis, & Lugdunensis, meditullium ferme obtinent. Tres ad Septentrionem recedunt, Britannia nimirum, Normannia, & Picardia. Tres Orientem spectant, nempe Delphinatus, Burgundia, & Campania. Tres tandem, *Provincia* videlicet, Occitania, & Aquitania Austrum versùs, Mari Mediterraneo, & Hispaniæ adjacent.

5. Quæ Galliæ Metropolis?

Luteria, sive Parisii ad Sequanam.

6. Quis Gallorum genius?

Sunt festivi, comes, affabiles,, ad res gerendas non minùs, quàm excogitandas prompti, & expediti, variis in artibus, ac scientiis exercitati; sui tamen, rerumq; suarum immodici æstimatores, leves, instabiles, novàrum semper rerum, atquè elegantiarum in vestitu præsertim, architecti, quibus aliarum nationum oculos fascinant, & loculos emungunt.

7. Quæ ibidem regiminis forma?

Monarchica

8. Quæ religio?

Catholica, nisi quòd hæresis Janseniana, Vaticanis licèt fulminibus toties percussa, totoquè orbe reliquo exulare jussa, in Gallia asylum magno identidem molimine quæritet, inventura haud dubiè, nisi Regis Christianissimi, totquè virorum, purpurâ, infulis, togâ sagoquè, virtute itèm, & doctrinâ omnigenâ conspicuorum zelus, & invictâ constantiâ totis viribus obniteretur.

9. Quæ Galliæ antiquæ divisio?

Generatim dividebatur in Galliam Cisalpinam, & Transalpinam. Cisalpina complectebatur maximam Italiæ Borealis partem, ubi Insubres agrum Mediolanensem, Ligures Genuensem, Taurini Pedemontium, &c. incoluêre. Gallia Transalpina in Comatam, & Braccatam; Comata rursus in Belgicam, Celticam, & Aquitanicam dispertiebatur. Gallica Belgica hodie pars est Belgii, & Germaniæ. In hac Ubii circa Coloniam, Vangiones circa

Wormatiam, Tribocci circa Argentinam, &c. consedêre. Gallia Celtica agrum Lugdunensem, Britanniam, Normanniam, &c. Aquitania verò Vasconiam, Occitaniam, Agrum Aurelianensem, &c. complectebatur. Gallia Braccata, sive Narbonensis *Provinciam* propriè dictam, & Delphinatum, &c. complexa, appellabatur Provincia Romanorum, quia hi indè initium fecêre Galliæ sub imperium suum redigendæ.

§. IX.

HISPANIA.

1. *Qui Hispaniæ limites?*

A Septentrione Oceanum respicit Cantabricum; ab Ortu æstivo montes Pyrenæos; à Meridie, & Ortu hyberno Mare Mediterraneum; ab Occasu Lusitaniam, & Oceanum Atlanticum.

2. Qui præcipui Hispaniæ fluvii?

Iberus, & Bætis, sive *Guadalquivir*. Tagus itèm Durius, & Anas, sive *Guadiana*, qui tres etiam Lusitaniam rigant.

3. Quæ cæli solique naturà?

Aër, in partibus præcipuè Australibus præfervidus interdiu, noctu frigidiusculus, ac penetrantis cujusdam, stomachoq; adversantis acrimoniæ. Unde hic, perinde atque in Italiæ locis quibusdam, periculosum perhibent, apertis fenestris noctu somnum capere. Solum admodum fertile est, longè fertilius futurum, si diligentiùs excoleretur.

4. *Quæ*

4. *Quæ Hispaniæ divisio?*

Ex pluribus constat regnis, ac provinciis. In ipso ferè meditullio regna sunt Castellæ veteris, ac novæ cum regno Legionis: Gallæcia, Austria, & Biscaja, sive Cantabria versùs orã Oceani Septentrionalem ab Occasu in Ortum procurrunt. Montibus Pyræneis adjacent Navaria, Aragonia, & Catalonia: Mari verò Mediterraneo regna Valentiæ, Murciæ, Granatœ, & Andalusiæ.

5. *Quæ Hispaniæ Metropolis?*

Madritum, in Castella nova, ubi sedes regia.

6. *Qui genti huic mores?*

Hispani profundo reconditoq; sunt ingenio, severiorum magis disciplinarum, quàm artium liberalium cultores; circumspecti, auctoritatis, gravitatis, secretiq; apprimè tenaces; quoque in deliberationibus, & consultationibus tardiores, eò in rebus semel decretis sunt constantiores. Ac licèt à labore rustico, & opificiìs ut plurimum abhorreant, virtutis tamen bellicæ, præsertim Caroli V & Philippi II. temporibus eximia prorsus dedêre specimina, laborum quorumvis patientissimi.

7. *Quæ regiminis forma?*

Monarchica.

8. *Quæ religio?*

Non nisi Catholica, quam cùm Rex re & nomine *Catholicus*, tum rerum hæreticarum quæsitores ità sartam adhuc tectamque conservârunt, ut nulli hæreticorum sedem illic stabilem capere in hanc usquè diem licuerit.

9. Quæ antiqua Hispaniæ divisio, & appellatio?

Hæc Hesperia quoq; ultima (quo nomine ab Italia, *Hesperia* simpliciter vocari solita, discernebatur) Iberia itèm & Celtiberia appellata, atque in Hispaniam citeriorem, & ulteriorem divisa est. *Citerior*, sive Tarraconensis, dimidia erat Hispaniæ pars, quæ *Romæ* fuerat vicinior; *ulterior* verò Lusitaniam, & Bæticam, ubi hodie Andalusiæ, & Granatæ regna, complectebatur. Trans fretum Herculeum Mauritania erat Tingitana, Hispanicæ tunc ditionis. In Celtiberia eminebat urbs Numantia, post diutinam obsidionem à Scipione tandem deleta.

LUSITANIA sive PORTUGALIA.

1. Qui regni hujus termini?

A Septentrione, & Oriente Hispaniæ contermina est: ab Occasu, & Meridie Oceano Atlantico alluitur.

2. Qui fluvii?

Præcipuus est Tagus, ad cujus ostium urbs est Ulyssipo, Lusitaniæ Metropolis sedesque regia.

3. Quæ terræ indoles?

Solis calorem venti, à Mari identidem spirantes, mitigant: hine cœli temperie, ac fertilitate Lusitania Hispaniam superat, vino, oleo, arborum fructibus, pascuis, sale, &c. dives.

4. Quæ

4. Quæ regni divisio?

Complectitur Lusitaniam, sive Portugaliam propriè dictam, & Algarbiam.

5. Qui Lusitanorum mores?

Sunt frugales, & ad rem suam attenti; liberales nihilominus erga egenos, Deoque dicatos homines; in templis exornadis piè prodigi; religione in DEUM Deiq; Matrem nulli secundi; scientiis itèm, mercimoniis, & armis, clari.

6. Quæ ibidem religio floret?

Sola Catholica, perinde atque in Hispania.

7. Quo nomine prisci Romani regionem hanc appellabant?

Pars hæc erat Hispaniæ *ulterioris*, Provincia Lusitanica nuncupata.

CAPUT IX.

Novē minores Europæ partes.

§. I.

De quatuor minoribus partibus, seu regionibus, Galliam inter & Imperium Germanicum interjectis, Belgio nempe, Lotharingia, Helvetia, & Sabaudia.

BELGIUM.

1. Quis regionis hujus status?

Hæc urbium magnificentiâ, & frequentiâ pagorum, & negotiandi opportunitate, pluribusq; aliis prærogativis, totius Europæ regio flo-

florentiſſima merito cenſebatur, eo præſertim tempore, quo uni parebat Domino universa. At poſt plurium Provinciarum ab Religione Orthodoxa, Regeq; Catholico defectionem, accedentibus inſuper Gallorum irruptionibus, & continuis propè belli calamitatibus de priſtino illo ſplendore haud parùm deperdidiſſe viſa eſt.

2. Quæ Belgii hodierni partitio?

Dividitur in Belgium Auſtriacum, Gallicum, & Fœderatum, ſive in Belgium Catholicum, & Acatholicum.

3. Quæ Belgii Catholici Provinciæ?

Ex his Domus Auſtriaca poſſidet partem potiſſimam quatuor Ducatuum Brabantiæ, Limburgi, Geldriæ ſuperioris, & Luxemburgi, ac Flandriæ Comitatûs: partem itèm Comitatûſ Hannoviæ: Comitatum Namurcenſem, Marchionatum Antverpienſem, & Dominium Mechlinienſe. Gallicæ verò ditionis ſunt Arteſiæ Comitatus cum parte Brabantiæ, Flandriæ, Hānoniæ,, & Luxemburgi.

4. Quæ fœderati ſeu Acatholici Belgii Provinciæ?

Hæ ſeptem: quæ vulgò *Hollandia* appellari ſolent, nempe duo Comitatus, Hollandiæ, & Zelandiæ:: quatuor Dominia, Friſienſe, Groningenſe, Tranſiſalanum, & Ultrajectenſe cum Geldria inferiore quò Zutphaniæ quoquè Comitatus pertinet.

5. Qui Belgarum mores?

Gallo-Belgæ Gallis uti linguâ habitùque, ita & moribus propiùs accedunt. Flandro-Bel-

gæ verò, à Flándria, nobilissima Belgii Provincia appellati, Germanis magis sunt moribus, ut póte sinceri, candidi; perhumani, gnavi, industrii, frugales, labori à teneris assueti, ingeniosi, & ad omnes scientias, & artes idonei non minus, quàm expediti. Præcipuam tamen operam dant faciendæ mercaturæ, cùm ob majorum fluminum alveorumque factitiorum frequentiam.

6. Quæ Belgii urbes præcipuæ?

In Brabantia Bruxellæ, Lovanium, Antverpia, Mechlinia, &c. In Flandria Gandavum, Bruga, Ostenda, Ipræ, Novoportus, Tornacum, Menena, &c In Hannonia Montes, Athum, &c. Limburgum item, Luxemburgum, Chiniacum, Namurcum, Caroloregium, Ruremūnda, &c. quæ pluresque aliæ urbes omnino insignes Austriacæ Domui sunt subjectæ. Galli porrò Atrebatum, Cameracum, Gravelingam, Insulas, &c. Batavi verò Amsterodamum, Roterodanum, &c. occupârunt.

LOTHARINGIA.

Quæ, qualisque hæc regio?

Regni Austrasiæ pars olim erat. Hodie in geminos Ducatus, Lotharingiæ nempe pressiùs sumptæ, & Ducatum Barrensem dividitur, estquè magnorum Heroum patria. Et quamvis montosa sit ac saltuosa, frumento tamen, vino, & pecoribus, &c. abundat. Urbs Princèps est Nancejum, Ducis sedes. Incolæ Gallice út plurimúm loquuntur. Ad Lotharingiam

quoquè

quoque pertinebant tres nobilissimi Episcopatus Metensis, Tullensis, & Virodunensis, quos Galliæ Rex Henricus II. An. 1552. ab Imperio Germanico avulsit, Jurisdictione tamen Ecclesiastica penes Archiepiscopum, & Electorem Trevirensem in hanc usque diem remanente.

HELVETIA.

1. Quæ regionis hujus natura, & constitutio?

Tota ferè montibus veluti nativis propugnaculis obvallatur, ac in tredecim territoria, seu *Cantones* distinguitur, è quibus Lucerna, Uria, Suitia, Subsylvania, sive Underwaldia, Tugium, Friburgum, Solodorum cum parte Glaronæ, & Abbatiscellæ, cum Vallesia item universa, pluribusquè aliis urbibus, ac locis fœderatis in avita semper religione perstitêre immobiles: Tigurum verò, Berna, Basilea, & Schapusia, cum parte Glaronensium, & Abbatiscellanorum, &c. Zwinglium infamem illum Fidei Orthodoxæ desertorem, ac transfugam secutæ, prisca progenitorum suorum religione abjurata, novitiæ sectæ adhæsêre.

2. Quæ terræ, & incolarum indoles?

Terra lætis undique pascuis viret; indè incolæ ex pecuaria permagnum capiunt quæstū. Quantus porrò Helvetiorum Orthodoxorum in Fide Catholica, Christiquè Vicario defendendo jam olim fervor fuerit & constantia, indè patet, quòd Julius II. An. 1512. Helvetios *Pontificiæ dignitatis propugnatores, & defen-*

sores

ſores; ac Leo X. An: 1515. *Eccleſiæ defenſores* appellare non dubitaverit. Helvetiorum quoquè fidelitas, ſinceritas, temperantia, induſtriqué paſſa ſedulitas, ac virtus præſertim bellica paſſim celebratur ab Hiſtoricis. Regimen alicubi Ariſtocraticum, alibi Democraticum eſt.

SABAUDIA.

1. *Quid de hac generatim dicendum?*

Sabaudiæ Ducatui ab Auſtro Pedemontium à Septentrione lacus Lemanus, ab Occaſu Gallia, ab Ortu Valeſia eſt contermina. Aura ob crebros montes, perpetua rigentes glacie, frigidior eſt; regio tamen populoſa, nec infœcunda. Incolæ admodum induſtrii ſunt, & laboriosi. Monticolæ relicto paſſim ſolo patrio, Ægineis mercibus diſtrahendis regionatim lucellum quærunt.

§. II.

Quinq; reliquæ Europæ partes, Poloniam inter & Turciam Europæã, Hungaria nempe, Tranſylvania, Valachia, Moldavia, & Tartaria Minor.

HUNGARIÆ REGNUM.

1. *Quis Hungariæ ſitus, atquè diviſio?*

Ad ſeptentrionem montibus Carpathiis à Polonia, Sileſia, & Moravia ſejungitur: ad Ortum Tranſylvaniæ, & Valachiæ; ad Auſtrum Sclavoniæ & Serviæ; ad Occaſum Auſtriæ contermina eſt; dividiturquè in Superiorem, &

Trans-

Transdanubianam Septentrionem versùs, & inferiorem, seu Cisdanubiam Meridiem versùs. Buda Regni totius caput, regiaquè olim sedes erat, Superioris Hungariæ Metropolis est Posonium, Regnum porrò istud, quod fortissimum Christianæ Reipublicæ contra Turcas propugnaculum semper fuerat, Domus Austriaca jure hæreditario possidet, utpote quod non solûm in dotem pridem accepit; sed suis insuper armis iterum iterumquè à præsenti exitio interituquè vindicavit.

2. Quod soli, incolarumquè ingenium?

Terra, licet rerum omnium copiâ ad delicias usque abundet; longè tamen uberiores ferret fruges, si diligentiùs excoleretur. Præ cæteris commendantur boves, vinum, & aurum Hungaricum. Incolæ magnis sunt animis, audaces, intrepidi, ad bella gerenda prompti, libertatis amantes, &c.

3. Quæ Religio?

Jam indè à S. Stephani Regis pariter & Apostoli Hungariæ temporibus Religio Catholica semper floruit, donec Lutheri, & Calvini, &c. sectatores non solùm noxia errorum suorum zizania hic quoquè spargere, sed ipsos adeò Turcas, capitales Christiani nominis hostes in patriæ, Religionisquè Orthodoxæ excidium evocare sunt ausi. Sed posteaquam Regnum hoc universum jugo Turcico jam penitùs est exemptum, spes pariter affulget, fore, ut Religio avita in antiquissimam suam possessionem postliminio restituatur.

TRAN-

TRANSYLVANIA.

Quid de principatu hoc ſtrictim commemorandum?

Hungariæ jam olim adjuncta erat, deìn propriis paruit Principibus. Nunc annis ampliùs triginta Domui ſubeſt Auſtriacæ. Terra, utut montibus, ſylvisq; impedita, frugum tamen feraciſſima erat, cumq; vicina Valachia, & Moldavia olim *Dacia* vocabatur. Incolæ in tres potiſſimùm claſſes diſtribuuntur, in Germanos nempe, origine Saxones, Hungaros, & Siculos ſive *Siculicales*, quos inter plures aliæ nationes, ſectæquè diverſæ degunt.

VALACHIA, & MOLDAVIA.

Quid de geminis hiſce Principatibus curſim dicendum?

Utraquè hæc regio ſuos habet Principes (Hoſpodaros vocant) Sultano vectigales. Terra, montoſa licèt ac ſylveſtris, frumento tamen, vino, equis generoſis, armentis, & pecore abundat. Incolarum plerique Græcorum Schiſmaticorum erroribus impliciti, aut pecuariam faciunt, aut agriculturæ dant operā, cætera bellicoſi, rerum novandarum cupidi, dubiæ ſuſpectæq; fidei.

TARTARIA MINOR.

1. Quæ hæc regio?

Olim Cherſoneſus Taurica, hodie Tartaria Crimæa & Præcopeſis dicitur, quā Scythæ primū, dein Tartari, ex Aſia profecti, tenuêre. Prin-

cipem ſeu *Chamum* ſuum, qui ex *Kirat* ſemper familia eſt, ipſi quidem eligunt; ſed rata omnino habenda à Sultano electio. Ea porrò lege Turcis ſunt ſubjecti, ut Sultanum, vel Veziri-um, ad bella proficiſcentem, cum delecta militũ manu comitari cogantur, nõ alio numerato ſtipẽdio, nisi quod ex præda ſibi vindicant.

2. *Quis Tartarorum genius.*

Domos pleriq; non incolunt, ſed parva conſtruunt tuguria, in acumen faſtigiata, quæ carris impoſita cum uxoribus, liberis, & pecoribus ſecum, quò lubet, circumferunt, & obviis quibuſq; abſumptis; aliò commigrant, gens hominum barbara, bellicoſa, & rapto vivere aſſveta.

CAPUT X.

Mappa Geographica Aſiæ.

1. *Quis aſiæ ſitus?*

Nobis Europæis ad Orientem, partemque potiſſimam ſub Zona temperata Boreali ſita eſt, atque à Septentrione, Oriente, & Meridie, vaſtiſſimô cingitur Oceanô; Occasũ versùs Mari rubro ab Africa, Mari verò mediterraneo, & ponto Euxino, &c. ab Europa ſecernitur.

2. *Quæ cœli affectio?*

Aura ad Septentrionem perfrigida, in medio temperata, Auſtrum versùs præfervida eſt.

3. *Quæ terræ indoles?*

Septentrionem versùs, ubi Tartaria major ſita, terra vaſta, & horrida, magnamque partem nobis incognita eſt. Regiones mediterraneæ

neæ uti Persia, India, China, &c. serico aromatis, fructibus, gemmis, margaritis, auro, argentoque abundat.

4. Quis Asiaticorum genius?

Varius pro vario regionum situ. Nam Zonæ torridæ accolæ Africanis similiores sunt, hoc est: inconstantes, vehementes, vafri, & astuti, &c. languidiores contrà ac hebetiores, qui ad Boream recedunt. Quibus verò mitius clima obtigit, hi mitiore pariter sunt indole; molles tamen ùt plurimùm, delicati, & voluptatibus dediti, præsertim postquam Orthodoxa Religio, optima, ùt aliàs monuimus, morum magistra, inde exulare cœpit.

5. Quæ igitur ibidem religio?

Superstitio Mahometana instar luis epidemicæ totam ferme Asiam infecit. Sunt tamen ibi & Ethnici, & Judæi, & Christiani non pauci: qui postremi in varias iterum sectas abiêre.

6. Quæ Asiæ præ reliquis mundi partibus prærogativæ?

1. Hic prima generis humani incunabula nostrorumq; progenitorum, & Patriarcharm patria, ex qua deductæ in omnē terrarum orbem coloniæ. 2. Hic tres illæ Monarchiæ longè potentissimæ, Assyriorum, Persarū, & Græcorum floruêre. 3. Hic artes pleræq; omnes scientiæq; inventæ. 4. Hic Theatrum erat, ubi ludens in orbe terrarū DEI sapientia tot tamquè admiranda mundo dedit spectacula. 5. Hic terra illa divinitùs promissa, lacte, & melle fluens, ubi ipse DEI Filius natus, & e-

ducatus, annoque amplius triginta cum hominibus versatus est. 6. Indè orta DEIpara, cœli terræque Regina, Prophetæ sanctissimi, Christi Apostoli, primi illi legis Evangelicæ, ac Fidei Orthodoxæ præcones, & Doctores. 7. Hic Ecclesiæ novalis Christiq; vinea, Divinis manibus plantata, DEI hominis sudore, ac sanguine, Martyrumque cruore irrigata, lætissimè floruit, primitiasq; tulit cœlo acceptissimas, propagines indè suas, ac germina emissura per orbem universum, &c.

7. *Quæ Asiæ divisio?*

Olim in Asiam majorem, & minorem; hodiè rectiùs diviseris in Imperium Turcicum, Persicum, Mogolicum, Tartaricum, & Sinicum, atq; Insulas Asiaticas.

8. *Qui potentissimi Asiæ Monarchæ?*

Turcarum Imperator, Rex persarum, Magnus Mogol, & Imperator Sinensis, cui magna quoq; Tartariæ majoris pars subjecta est.

§. I.
Turcia Asiatica.

Quasnam complectitur Provincias?

Sex: Anatoliam, Syriam, Arabiam, Georgiam. Armeniam, & Diarbechiam. Tres priores cis, posteriores trans Euphratem sitæ sunt.

I. ANATOLIA.

1. *Quod regioni huic nomen? qui situs?*

Hæc, quòd Europæis ad Orientem posita sit à Græcis Anatolia ab *Anatoly* Oriens, ab

Italis

Italis *Levante*, ab antiquis Romanis Aſia minor dicta, Peninſulæ inſtar à Septemtrione Põto Euxino, Euphrate ab Oriente, à Meridie Mari mediterraneo, ſive Lycio, & Pamphilio, ab Occidente Archipelago, Helleſponto, Propontide, & Boſphoro Thracio terminatur.

2. *Quæ Terræ indoles?*

Regio hæc, & cæli clementiâ, & ſoli ubertate, & umbrium frequentiâ, & victoriis, quas tùm Græci à Perſis, Tùm Romani à Mithridate aliiſque reportârunt, longè clariſſima, hodie à Barbaris neglecta, penèque deſerta jacet.

3. *Quæ diviſio?*

Turcæ hodie dividunt in 4 Provincias, nẽpe 1. in *Anatoliam* propriè dictam, quæ Occidentem & Mare Ægæum versùs; olim Bithyniam, Paphlagoniam, Myſiam, Phrygiam, Lydiam, Æoliam, Joniam, Cariam, partemquè Galatiæ complectebatur. 2. In *Amaſiam*, Septemtrionem Pontumqué Euxinum versus, ubi olim regnũ Ponti, & Cappadociæ cum parte Galatiæ. 3. In *Caramaniam*, versùs Auſtrum, & Mare mediterraneum, ubi aliàs Lycia, Pamphylia, Cilicia, &c. 4. In *Aladuliam*, versùs Orientem, & flumen Euphratem, quæ Armeniam minorem antiquam continet. Huc quoq; pertinent Inſulæ Cyprus, Rhodus, &c.

4. *Quæ celebriores hic olim urbes numerabantur?*

In Bithynia Nicæa, Chalcedon, &c. In Jonia Epheſus, Smyrna, &c. In Cilicia Tarſus: in Lydia Thyatira: in Phrygia minore Troja urbs longè decantatiſſima: ad Helleſpontum,

five fretum Callipolitanum Abydos, eque regione Seftos, arces munitiſſimæ, quas vulgò *Dardanellas majores* vocant; nam Dardanellæ minores in Græcia ad fauces ſinus Corinthiaci utrumq; littus communiunt.

II. SYRIA.

1 Quid de hac memorandum?

Syriam, ſive Soriam Turcæ dividunt in tres Provincias, ſive Præfecturas, Alepenſem, Tripolitanam, & Damaſcenam, quarum ſingulæ à Baſſa, ſive Præfecto Turcico adminiſtrantur. Alepēſis continet Syriæ antiquæ partem Borealem, cujus caput Alepum, urbs ampla, & cōmercii florentiſſima. Tripolitana partē Phœniciæ, & Cæleſyriæ complectitur. Urbs princeps eſt Tripolis ad Mare mediterraneum, ubi portus percommodus. Damaſcenæ Præfecturæ caput eſt Damaſcus celebre emporium ad Libani montis radices. Ad Præfecturam hanc pertinet Palæſtina, cujus, uti & Syriæ ſolum longè fertiliſſimum meliorem paſſim culturam deſiderat, idque vel ob Turcarum avaritiam, vel incolarum deſidiam.

2. Ubinam Pentapolis, ac Mare mortuum?

Pentapolis regio olim amæniſſima Palæſtinā inter & Arabiam, à quinque urbibus Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor *Pentapolis* appellata, deflagrationis illius horrendæ reliquias longè triſtiſſimas hodieque oſtentat; univerſus quippe terræ illius tractus aſpectu horrendus, ac ſummè ſterilis poma profert in

ſpe-

ſpeciem pulcherima, ſed quæ manibus contrectata in cineres abeunt. Ibidem lacus eſt, continuum fumum, & ſulphur, quaſi reliquias funeſti illius incendii exhalans, à bitumine, Græcè *Aſphaltos*, Aſphaltites dictus, tetri omnino, ac peſtilentis odoris; unde nec piſces ibi, nec ſuetæ aquis volucres. Vocatur & *Mare mortuum*, cùm quòd odor ejus graviſſimus omnibus, vita præditis, aduerſetur, tum quòd oblentum, ac ſpiſsum bitumen nec aurâ, nec ventis moveri unquam poſſit.

3. Quid porrò de Palæſtina, ſeu terra ſancta memorandum reſtat?

Hæc à Chananæis primùm, hiſquè DEI monitu exterminatis, à populo Iſràëlitico incolebatur. Termini ejus à Septentrione mons Libanus, ab Occaſu mare Syriacum (quod & Sidonium, & Phœnicium dicitur) à Meridie Arabia petræa, ab Ortu Arabia deſerta. Quadrifariàm dividebatur. 1. In Judæam. 2. In Samariam. 3. In Galilæam. 4. In Peræam. In Judæa tribus Juda, Beniamin, Simeon, & Daniel. In Galilæa Aſer, Nephtali, Zabulon, & Iſſachar: In Samaria Ephraim, cum dimidia tribu Manaſſe: In Peræa trans Jordanem ubi & Ituræa, & Trachonitidis regio, Ruben, & Gad cum reliqua Manaſſis tribu conſedêre. Terræ Sanctæ Metropolis, regniq; olim Judaici ſedes erat Hieroſolyma, toto terrarum orbe nominatiſſima, hodie ſolo ferè nomine, & Chriſti ſepulchro celebris.

III. ARABIA.

1. Quia de regione hac paucis dicendum?

Arabia triplex est, petræa, deserta, & felix, ubi varii Principes (Emiros vocant) dominantur, quorum plerique Turcis, cæteri Persis sunt vectigales. Per Arabiam petræam, majori ex parte sterilem, arenosam, ac sole torridam, populus Israëliticus, Moyse ductore, ex Ægypto in Palestinā longo viarum circuitu est profectus. Mons ibi Sinai, & Horeb, uterque DEI cum Moyse alloquio insignis. Arabia deserta, Judæis Cedar, maximam sui partem plana est; at sterilis pariter & arenosa, ideoquè *deserta*. Arabia felix, ubi regnum Sabæ fuisse traditur, auro, gemmis, balsamo, thure, myrrhâ, aromatis, & fabis, vulgò Caffe, abundat. Inter urbes præcipuas est Mecha, Machometis patria, & Medina, ubi Pseudoprophetæ tumulus Urbs utraque, summâ Machometanorum, catervatim illuc confluentium superstitione frequentatur.

2. Quis Arabum genius, quæve cœli affectio?

Calor ibi maximus; quem tamen rores matutini non nihil mitigant: hinc itinera noctu peraguntur. Incolæ cum armentorum gregibus pascua vagi pererrant, & Scytharum more habitant sub tentoriis, quo ad pabulū suppetit; quo absumpto aliò commigrant, latrociniisq; finitimos infestant. Qui urbes incolunt, paulò humaniores sunt, mercaturæ ùt plurimùm dediti, Machometis tamen erroribus omnes impliciti.

IV.

IV. GEORGIA.

Ubinam sita hæc regio?

Pontum Euxinum, & Mare Caspium interjacet, inque plures distribuitur Provincias, quas inter Georgia propriè dicta, sive Gurgistan, ubi olim Iberia: Colchis itèm Argonautarum expeditione celebris, quæ Mengrelia hodie vocatur, atq; in tres iterum dividitur Principatus. Terra, frugifera alioquin, parùm excolitur, ac partim Turcis, partim Persis vectigalis est. Religio Christiana quidem, sed erroribus plurimis inquinata.

V. ARMENIA, sive TURCOMANIA.

Quænam hæc regio?

Potissimam Armeniæ majoris partem complectitur. Hìc eminet mons Ararat, in cujus prælto vertice Arca Noë, cessante terrarum eluvione consedisse perhibetur. Multi quoq; in Armenia hac supersunt Catholici; quos tamen hæretici, Eutichiani potissimùm & Monothelitæ, Machometani itèm, & Hebræi junctîs viribûs omnino exterminare nituntur.

VI. DIARBECHIA.

Quæ hodie regionis hujus facies?

Veteris Assyriæ partem, Mesopotaniam, Babyloniam, & Chaldæam complectitur, regio olim amœnissima, & deliciis plena; hodie tamen

men cùm ob colonorum ſocordiam, tum ob continuas Arabum graſſationes horrida, & inculta, uti regiones pleræque omnes Turcico Imperio ſubjectæ. In tractu porrò illo, ubi Euphrates, & Tygris confluunt, Paradiſus fuiſſe traditur; cujus tamen, uti & veteris Babylonis, Ninives, Edeſſæ, Ur, Haran, turris Babel, &c. vix rudera exiſtant.

§. II

Reliquæ Aſiæ partes.

PERSIA.

1. *Qui regni hujus termini.*

Ad Ortum Indus, ad Occasum Tigris amnis, ad Boream Mare Caſpium, & fluvius Oxus, ad Auſtrum Oceanus Indicus, & ſinus Perſicus.

2. *Quæ diviſio?*

Quinque olim partes præcipuas complectebatur, nempe. 1. Ariam ad Ortum, ſive Indiam versùs. 2. Sogdianam maximè ad Septentrionem versùs Scythiam. 3. Parthiam itidem ad Septentrionem juxta Mare Caſpium. 4. Media ad Oceanum versùs Armeniam, & Aſſyriam. 5. Perſidem ad Auſtrum versùs ſinum Perſicum, ad cujus fauces Armuzia urbs quondam munitiſſima cum portu inſigni, Luſitanici tunc juris ſita erat; quæ tamen, uti & plura alia An: 1622. Anglorum, Machometanis magis, quàm Catholicis faventium, conſilio, & operâ Luſitanis fuit erepta, & Chriſtiani nominis hoſtibus tradita. Summatim Provinciæ erant ſeptendecim, quibus omnibus nova

pridem

pridem nomina fuêre imposita. Urbes præcipuæ fuêre Persepolis, ab Alexandro M. scorti hortatu in cineres redacta, Ecbatana Persiæ Regum sedes æstiva, & Susa sedes hyberna. Hodierni regni Persici Metropolis, sedesque regia est Aspahanum.

3. Quod solum, & incolarum ingenium?

Fluvii in regno hoc amplissimo perpauci, iique in plures diducti rivos, ad agros nimio Solis æstu torridos, & exsuccos humectandos. Provinciæ Boreales temperatiores sunt, ac fertiliores; Australes contrà præfervidæ; quædam etiam desertæ, arenosæ, ac steriles. Incolæ mercaturæ potissimùm se dedunt, longèque erga externos humaniores sunt, quàm Turcæ Ab his tamen ob diversam Alcorani, in cujus verba utriquè jurant, expositionem plurimùm discrepant, acerbisquè idcirco odiiis se mutuò prosequuntur.

INDIA.

1. Quæ India divisio?

India à flumine Indo nomen trahens, quadrifariàm dividi potest: 1. In Indiam Indum inter & Gangem Septentrionem versùs, ubi magni Mogolis Imperium, de quo in Opusculo IV. meminimus. 2. In Peninsulam intra Gangem Oceanum versùs 3. In Peninsulam extra Gangem Ortum versùs. 4. In Indiam Insulanam.

4. Quid de Peninsula intra Gangem memorandum?

Peninsula hæc plurima complectitur regna, in

in quibus Lusitani ante annos ampliùs ducentos urbes locaq; alia non pauca Ecclesiæ Christi, Regisque Lusitanici imperio subdidêre. At posteaquam Batavi longo pòst tempore Lusitanos pluribus in locis antiqua sua possessione exturbârunt, non Lusitanicæ solùm, sed Christianæ quoque res in Oriente plurimùm accisæ fuerunt: Goa tamen, Archiepiscopi, & Proregis sedes, sex munitissimis castellis portuque insigni instructa, in Lusitanorum adhuc potestate est, ubi & S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli sanctitate, miraculis toto terrarum orbe celebratissimi corpus ab Anno 1552. in hanc usque diem incorruptum visitur, trecentis lampadibus ad ejus tumulum jugiter ardentibus.

3. Quæ regna nominatoria Peninsula ultra Gangem complectitur?

1. Ad Septentrionem Regnum Avæ, & Peguanum. 2. ad Austrum Sianum, & Malacam, olim *Auream Chersonesum* dictam. 3. ad Ortum Tunchinum, & Cochinchinam cum pluribus aliis regnis.

4. Quæ Insulæ celebriores in Oceano Indico?

1. Maldivæ infra oram Malaboriam longo tractu ab Aquilone in Austrum porrectæ, & in tredecim series distinctæ. 2. Ceylanus è regione oræ Piscariæ, & Goromādliæ Lusitanici primùm juris, deìn à Batavis occupata. 3. Sumatra, Borneum ex Asiæ insulis maximis, & Java infra peninsulam extra Gangem. 4 Molucæ in magnas, & parvas divisæ. 5. Philippi-

næ Sinam inter & Molucas, & Mariæ Annæ inter Oceanum Orientalem, & Mare Pacificū quarum illæ à Philippo II Rege, istæ à Maria Anna Regina Hispaniæ nomen duxêre. His adjungimus insulas Japonicas, quæ ultra Sinam, Orientem versùs porrectæ uni subsunt Monarchæ.

5. *Quæ Indiæ fertilitas?*

Sacharo, oryza, gossipio, serico, aromatis omnis generis, margaritis itèm, gemisque pretiosissimis, auro, & argento, &c. abundat. Sed vix usquam gentium plantam, arboremve æquè utilem reperias atquè illā, quæ nuces (*cocos vocant*) humani propè capitis magnitudine passim profert: namquè & cibum, & potum, & vestitum, & quidquid ferme ad supellectilem vel nauticam vel domesticam necessarium est, sola suppeditat.

6. *Quid verò de religione dicendum restat?*

Jam indè à magni Indiarum Apostoli Xaverii adventu homines illic innumeri ab Ethnica, & Machometana superstitione ad veri Numinis cultum fuêre adducti. At postquam hæretici Europæi in has quoque terras, quò Catholici dudum antè, immensis sanè sumptibus, laboribus, periculisquè, aditum sibi aperuêre, pedem intulerunt, vera indè religio, fides, pietas, &c. passim abire in exilium compulsa est, irreparabili tot millium animarum exitio. In Japonia certè res Christiana tantopere floruit, ut primitivam illam Ecclesiam in extremum hunc orbis angulum commigrâs

migrâsse crederes. Verùm Hollandi falsis suis criminationibus, calumniis, obtrectationibus Japonum Monarcham eò tandem impulêre, ut multis Christianorum millibus immanissimè trucidatis, & Christum, & ipsum adeò nomen *Christiani* Japoniâ universâ proscripserit. Solis Hollandis, utpote qui non *Christianos*, sed *Hollandos* se esse palàm diserteque profitentur, aditus in regnum hoc, quò per calcatum pergunt Christum, est concessus.

TARTARIA MAGNA.

Quid de hac memorandum?

Amplissima hæc Asiæ pars ad Occasum Moscoviâ, & Mari Caspio, ad Austrum Persiâ, Indiâ, & Sinâ ad Ortum, & Septentrionem, Mari Tartarico terminatur, dividiturq; in partes plures vix nomine Europæis notas. Hìc vetus illia Scythia citerior, sive intrà Imaum, & ulterior, sive extra Imaum montem, Serica itèm, populiq; Seres fuisse perhibentur. Tartari moribus sunt efferis, incultis, & barbaris. Carnes equorum, & camelorum semicrudas cum lacte equino inter gulæ lautitias numerant.

S I N A.

Quinam Imperii hujus termini?

Ab oriente, & Meridie Oceanus Orientalis, qui & Sinensis à Sinis dictus; ab Occasu India; à Septentrione Tartaria magna, à qua muro illo, ad quingentas ferme leucas porrecto,

lejun-

sejungitur. Regio hæc tum rebus cæteris, tum præcipuè serico tantopere abūdat, ut hoc plerique omnes vestiri soleant, Herba *Thée*, & vasa fictilia, quæ *Porcelana* vocant, ex Sinis allata, præ cæteris commendantur. Potentissimi vastissimique hujus imperii metropolis ac sedes regia Pechinum est, quâ ampliorem frequentioremque urbem Orbis non habet.

CAPUT XI.

Mappa Geographica Africæ.

1. Quis Africæ situs?

Maxima hœc orbis terrarum Peninsula exiguo isthmo Asiæ conjungitur, atque ad Septentrionem Mari mediteraneo, ad Ortum Erythræo, & Indico, ad Occidentem, & Austrum Oceano Atlantico, & Æthiopico cingitur. Figura ejus in mappa Geographica accedit ad cordis similitudinem, cujus pars sucerior zonœ temperaræ Boreali, meditullium zonæ torridæ, pars inferior zonæ temperatæ Australi subjacet.

2. *Quæ præcipua Africæ flumina?*

1. Nilus, qui à meridie in Septentrionem per Abyssiniam, Nubiam, & Ægyptum procurrens Mare subit mediterraneum. 2. Niger, qui ab Ortu Occasum versùs Nigritiam bifariàm secans, in Mare Atlanticum pluribus ostiis irrumpit.

3. Quæ Africæ magnitudo?

Si terræ spatium metiâre, triplo ferè major est Europâ; at si habitatorum numerum supputes,

putes, duplo fortè minor censeri poterit. Nam vastissima illic terrarum spatia aut inculta jacent, aut arenis sterilibus obducuntur, aut nimio solis æstu torrentur, aut multiplici animalium noxiorum genere infestantur. Alicubi tamen, in locis præsertim maritimis, & ubi irrigua sunt flumina, mira soli fertilitas: ut proinde, quidquid Africa sive boni, sive mali producit, *prodigiosum* dici possit.

4. Quæ Afrorum indoles, & religio?

Quamdiu religio vera, quæ efferas etiam atque indomitas gentes mansuefacit, atque ad omnem humanitatem informat, in Africâ floruit, alia prorsus vitæ morumque disciplina, & cultura viguit. At postquam & hæreticâ impietas, & Machometana superstitio animos inficere cœpit, & corrumpere, mox ad ingenium Afri pristinamque rediêre barbariem. Hodie Machometani in Barbaria præcipuè, & Ægypto: in Abassiâ, &c. Christiani: alibi etiam idolorum degunt cultores. Ii porrò, qui Ægyptum, Barbariam, locaque finitima incolunt, albo, seu potiùs subflavo; reliqui nigro sunt colore.

5. Quinam in Africâ rerum potiuntur?

1. Turcarum Imperator, cui Ægyptus paret, potissimáque Barbariæ pars vectigalis, & obnoxia est. 2. Rex Fesiæ, & Marochii. 3. Abasiæ, sive Abyssiniæ Imperator. 4 Imperator Monomotapæ.

6. Quæ Africæ divisio?

No: in superiorem, sive Borealem, & inferiorem

riorem 'five Auftralem dividimus. Alii aliter partiuntur.

§. I.
Superior Africæ pars.

1. Quot regiones hæc complectitur?

Sex; 1. Barbariam. 2. Ægyptum. 3. Biledulgeridiam. 4. Zaaram, five defertum. 5. Nigritiam. 6. Guineam.

2. Ubi Barbaria fita eft?

Partem potiffimam Mari mediterraneo circumjacet è regione Europæ. Regnum Feffanum, & Maroceanum, ubi olim Mauritania Tingitana erat, juxta Oceanum Atlanticum versùs fretum Herculeum porrigitur. Indè tres fequuntur Refpublicæ: Algeriana, Tunetana, & Tripolitana, famofa piratarum receptacula. In tractatu Algeriano olim Numidia, & in hac urbes Hippon (hodie *Aona*) & Tagafte erant, illa Epifcopatu, hæc natalibus S. Auguftini clara. Haud procul urbe Tuneto Carthago ftetit, urbs quondam nominatiffima Romæque æmula; cujus tamen nonnifi rudera quædam exftant. Extrema Barbariæ pars, Ægyptum versùs, eft Barcana regio, ubi olim Libya exterior, Cyrenaica, & Marmarica.

3. Quid de Ægypto memoratu dignum occurrit?

Ægyptus dividitur in inferiorem, mediam, & fuperiorem, quæ hodie *Said*, olim Thebais dicta eft, tot virorum Sanctiffimorum nutrix. Ac licèt terra pluviis raro aut nunquam irrigetur; annuâ tamen inundatione Nili, qui fub

æstivum solstitium intumescere incipit, mirum quantum fœcundatur. Regionis caput Cairus est, urbs totius Africæ Amplissima. Indè haud procul absunt Pyramides miræ altitudinis. Alexandria porrò, ab Alexandro M. ad oram Maris Mediterranei exædificata, de pristino illo splendore plurimum deperdidit. Visebatur indè turris Pharos, mundi miraculum.

4. *Quid de Biledulgeria, Zaara, Nigritia, & Guinea memorandum?*

1. Biledulgeridia à dactylis, quibus abundat, nomen trahens, Barcariæ contermina est, longissimoq; tractu ab Ægypti confinibus ad Oceanum Atlanticum protenditur. 2. Zaara, ubi olim Libya interior leones, tigrides, struthiones, variaque monstra alit, quibus homines indigenæ haud multùm absimiles. 3. Nigritiam Niger amnis perinde ac Nilus Ægyptum inundare dicitur, ac fœcundare. Incolæ Hispanis ac Lusitanis plurima vendunt mancipia, quæ deinde in Americam transvecta, multis magnisque laboribus exercentur. 4. Guinea auro, ebore, rebusque aliis abundat; quocirca ab Europæis plurimùm frequentatur præsertim ab Anglis, Batavis, Danis, & Brandeburgis, qui littoribus illis, *Ora* præsertim *Aureæ*, ob aureas arenas sic nuncupatæ, plures arces munitissimas imposuêre.

§. II.

Pars Africæ inferior, sive Æthiopia.

1. *Quot, qualesquè regiones hæc continet?*

Itidem sex, nempe Nubiam, Abyssiniam, &

Zanguebariam, quæ olim Æthiopia ſuperior, ſeu interior, appellabantur: regna itèm Congi, & Monomotapæ cum Cafreria, quæ Æthiopia inferior, ſeu exterior nuncupabantur.

2. Quid de his omnibus ſummatim dicendum?

1. Nubia infra Ægyptum ſita, rigatur Nilo, & Nubiâ amne, alitque camelos optimos. 2. Abyſſinia, ſive Æthiopia propriè dicta, Abyſſinorum Imperatori paret; multæ tamẽ provinciæ ab Imperio hoc olim ampliſſimo, fuêre avulſæ. 3. Zanguebaria regio perampla, à Cafreria per longum tractum littoralem versùs Mare Arabicum protenſa. Luſitani Moſambicum, pluraq; alia loca obtinent. 4. Regnum Congi, quod fluvius Zairus cum aliis amnibus minoribus rigat, fœcundatq; 5. Monomotapæ Imperium ampliſſimum, auri argentique ferax. 6. Cafreria, poſtrema Africæ pars, ab Oriente, Meridie, & Occidente Æthiopico undique Oceano cingitur, ubi promontorium bonæ ſpei maximè ad Auſtrum procurrens.

§. III.

Africæ Inſulæ.

1. Quæ celebriores Africæ inſulæ?

2. Canariæ, ſive Fortunatæ, in Oceano Atlantico, Hiſpaniæ Regi ſubjectæ, quas inter eminet Tenerifa, ubi Picus omnium, ùt ajunt, montium altiſſimus. 2. Heſperides, ſive promontorii viridis, quæ & Gorgones, ſive Gorgades dictæ, itidem in Oceano Altantico è regione Promontorii viridis in Nigritia. Sub-

ſunt Regi Luſitaniæ. 3. Madagaſcaria, ſive S. Laurentii in Oceano Æthiopico. Eſt ex præcipuis totius orbis Inſulis. 4. Melita in Mari mediterraneo Siciliam inter & Tropolin, fortiſſimum Italiæ adversùs Turcas, & Mauros piratas propugnaculum. Hanc Carolus V. An: 1530. Equitibus Melitenſibus ceſſit.

CAPUT XII.

Mappa Geographica Americæ.

1. Quanam ſub zona ſita eſt America?

Sub torrida, & duabus temperatis.

2. Quis ejuſdem ſitus?

Ad Aquilonem Oceano Glaciali, ad ortum Atlantico, ad Occaſum Pacifico, ad Auſtrum freto & Mari Magellanico cingitur. Nobis Europæis ad Occidentem ſita eſt; unde & India Occidentalis appellatur.

3 Qui nam præcipui Americæ fluvii?

1. Canada, ſive fluvius S. Laurentii. 2. Fluvius Amazonum. 3. Fluvius Argenteus. 4. Fluvius Grandis.

4. Ecquod terræ, & incolarum ingenium?

Terra pro vario ſitu cœlique poſitu alicubi rerum omnium feraciſſima, ſterilis alibi & infœcunda eſt: Incolæ, tametſi ad res proprio Marte, & arte inveniendas minùs ſint prompti, & expediti; aliorum tamen opera artificioſiſſima examuſim nôrunt imitari. Ante Europæorum in has terras adventum vivebant ferarum ritu: at nunc iis in locis, quæ Catholici *Miſſionarii* luſtrârunt, informâruntque, vitam ducunt admodum honeſtam.

5. Quæ ibidem Religio?

Olim mera hìc erat barbaries, summa rerũ omnium ignoratio, & immensum fœdissimarum superstitionum chaos. At postquam Hispaniæ, Galliæ, & Lusitaniæ Reges religiosissimi, provincias illas, recens detectas, & Ecclesiæ Christi inprimis, & suo subdidêre imperio, Religio ubiquè Catholica floret, majoraque in dies capit incrementa. Atque hinc agnoscere licet miram DEI, Ecclesiam suam nunquam deserentis, providentiam: quippe jam indè à tempore illo, quo Apostatarum omnium coryphæus Lucifer *in lateribus Aquilonis*, sive extremo Europæ angulo per Lutherum aliosq; *emissarios* veræ Fidei lumen omnino extinctum ibat, Deus in Asia, Africa, & America, ad extremum nempe Orientem, Meridiem, & occidentem per tot *Missionarios*, virosque Apostolicos multas hominum myriades puri sincerique Evangelii luce collustravit.

6. Quæ Americæ divisio?

Dividitur generatim in duas prægrandes Peninsulas, tenui Isthmo Panamam inter & Portum Pulchrum connexas. Quæ ad Boream procurrit, America Septentrionalis, sive Mexicana; quæ verò ad Austrum porrigitur, America Australis, sive Peruana appellatur.

§. I.
America Borealis.

1. Quasnam regiones complectitur?

1. Canadam, sive Novam Franciam, quæ

Gallorum eſt. 2. Virginiam, quæ Anglorum. 3. Floridam, Novum Mexicum, & Novam Hiſpaniam, ſive regnum Mexicanum, quæ Hiſpanorum ſunt, & duabus prioribus fertilitate, divitiis, &c. longè præſtant.

2. Quæ Inſulæ Americæ Borealis?

1. Europæ maximè vicinæ ſunt Azores, quæ & inſulæ accipitrum ob horum copiam, & Flandricæ, quòd à Flandris inventæ ſunt, appellantur. Subſunt Regi Luſitaniæ, & ab aliis inter Africæ Inſulas numerantur. 2. Inſulæ Lucajæ. 3. Antillæ majores, & minores. Harum pleræque ſunt admodum frugiferæ, & partim Hiſpanis, partim Gallis, Anglis, & Batavis, &c. ſubjectæ. 4. Californiam, tractu longiſſimo propè novum Mexicum à Borea in Auſtrum porrectam, nonnulli Peninſulam eſſe perhibent.

§. II.
America Auſtralis.

1. Quæ ejuſdem regiones præcipuæ?

1. Terra Firma, ſive Caſtella Aurea: 2. Paraquaya, ſive Paraquaria. 3. Terra Magellanica. 4. Chile, & 5. Perua, ſive regnum Peruanum, Hiſpanicæ ſunt ditionis. 6. Braſilia verò Luſitanicæ.

2. Quænam has inter regiones principatum tenet?

Regnum Peruanum rebus omnibus affluens, plurimiſq; auri, & argenti fodinis dives, in monte præſertim Potoſio, ubi venæ argenti inexhauſtæ.

CAPUT XIII.

De regionibus incognitis.

1. Quot sunt hujusmodi regiones?

1. Arcticæ sive Boreales, quæ Polo Arctico. 2. Antarcticæ, sive Australes, quæ Polo Antarctico circumjacent. Vocantur *incognitæ*, quia perpauca de iis explorata habemus.

2. Quæ regiones incognitæ ad Polum Arcticum?

1. Spizberga, seu *Montes acuti* inter Novam Zemblam ad Ortum: & Grœnlandiam ad Occasum. 2. Nova Zembla, Moscoviæ Septentrionali ferè adjacet, à qua freto Vaigatio dirimitur. 3. Jesonis rogio ultra Japoniam, Septentrionem versùs, excurrit. 4. Gronia, sive Grœnlandia ultra Europam, & Americam Borealem porrigitur. 5. Islandia Insula Norwegiam, & Grœnlandiam interjacet. Hanc veterem illam Thulen nonnulli autumant. Est ibi Hecla mons ignivomus.

3. Quales hæ regiones?

Perfrigidæ admodum. Quæ ipsa causa est, quòd minùs adhuc sint cognitæ; cùm ob vehemens frigus, & glaciem adiri vix possint. Hollandi quidem aliquot abhinc annis Spizbergam usque & Novam Zemblam penetrârunt; sed commorari diutiùs haud poterant: Ob nives perpetuas ursi ibi aliæquæ bestiæ albescunt. Balenas ad Spizbergam magno numero Mari innatantes Batavi æstate capiunt. Indigenæ asperis, & incultis sunt moribus, atquæ idololatriæ ùt plurimùm dediti.

4. Quæ regiones incognitæ ad Polum Antarcticum?

1. Nova Guinea infra Asiam Ortum versùs sita est. 2. Carpentaria versùs Polum Antarcticum longiùs excurrit. 3. Insulæ Salomonis Novam Guineam, & Americam Australẽ interjacent. 4. Quiri Regio seu Terra Australis Spiritus Sancti infra Insulã Salomonis, & 5. Infra illam Nova Zelandia Polum versùs protenditur. 6. Nova Hollandia, rerum omnium egentissima, infra Insulas Asiaticas, & Novam Guineam Occasum versùs sita est. 7. Ignium Regio Insula amplissima est, fretum Magellanicum inter & Mæreum, sive S. Vincentii. 8. Diemeni Regio infra Novam Hollandiam, Polum versùs porrigitur, &c.

APPENDIX

De INSIGNIBUS EPISCOPATUUM & PROVINCIARUM REGNI POLONIÆ. Item De stemmatibus variorum extranenorum Regnorum & Provinciarum.

Ponitur loco Appendicis de Arte Scutaria sive Heraldica.

INSIGNIA EPISCOPATUUM Regni Poloniæ.

ARCHIEPISCOPATUS GNESNENSIS.

Lilia tria ad instar Stemmatis Gozdawa in Campo ceruleo. Item S. Adalbertus Archi-Episcopus, in Apparatu Archiepiscopali.

AR-

ARCHIEPISCOPATUS LEOPOLIENSIS.

Virgo Beatissima dextrâ Christum infantem portans, sinistâ sceptrum gerens, in capite coronam, lunam sub pedibus habens: & sub luna leonem jacentem.

EPISCOPATUS CRACOVIENSIS.

Tres Coronæ aureæ in campo albo.

EPISCOPATUS CUJAVIENSIS.

Virgo Beatissima radiis circumdata, dextrâ Christum, sinistrâ sceptrum tenens, diademate redimita, & Lunæ insistens in campo aureo.

CAPITULI POSNANIENSIS.

D. Petrus Apostolus cum geminis clavibus in dextra.

CAPITULI VILNENSIS.

Tres Coronæ eadem formâ ut in Cracoviensi.

CAPITULI PLOCENSIS.

Virgo Beatissima dextrâ sust nens Christum, manus extensas ceu ad amplexum præferentem, pallio ceruleo amicta, & lunæ insistens: sub qua stemma instar anchoræ &c.

CAPITULI VARMIENSIS.

Porta super quam media turris inter alias binas eminet. In porta cancelli ferrei erecti in sublime: lateri portæ crux dimidia adjacet. Portæ supereminet mitra Pontificia coronis cincta & Cruce insignita. Mitra hæc portæ à Sede Apostolica cum specialibus Privilegiis adjecta: ut refert Marianus Costenus,

CAPITULI LUCEORIENSIS.

Effigies SSmæ Trinitatis Beatissimã Virginem coronans.

CAPITULI PRÆMISLIENSIS.

S. Joannes Baptiſta vexillum pervum manu tenens cum agno eidem adſtante.

CAPITULI SAMOGITIENSIS.

Tres Coronæ.

CAPITULI CULMENSIS.

Crux ſola.

CAPITULI CHEŁMENSIS.

Effigies duodecem Apoſtolorum.

CAPITULI KIJOVIENSIS.

S. Sophia cum S. Tribus Filiabus.

CAPITULI CAMENECENSIS.

SS. Apoſtoli Petrus & Paulus hic cum gladio; ille cum geminis clavibus in manu.

CAPITULI LIVONIÆ.

Stemma non appoſitum ab Authore.

CAPITULI SMOLENSCENSIS.

Tres Coronæ.

Inſignia hæc Epiſcopatuum deſumpta ſunt ex libro cui titulus: Corona Poloniæ edito per R. P. Gaſparum Nieſiecki S. J. *qui refert à nonnullis Authoribus alia quoquè ſtemmata aſſignari:*

Reliquorum ſtemmatum deſcriptio diſumitur ex libello cui titulus Flos Regnorum Edito Varſaviæ.

INSIGNIA PROVINCIARUM REGNI POLONIÆ.

POloniæ Inſigne, Aquila alba in campo rubeo, cum Corona aurea.

Cracovienſis Palatinatûs, in vexillo Aquila candida cum Corona aurea, in campo rubeo.

Cracovia, Tres Turres cum Porta una, in qua Aquila.

Zatori-

Zatoriensis Districtûs, spectantis ad Palatinatum Cracoviensem, Aquila alba cum litera Z. in pectore, in clypeo cæruleo.

Sandecensis Districtûs, eodem pertinentis, clypeus divisus in duas partes, & sex campi, tres rubri, & tres aurei, in secunda parte in rubro campo novem Stellæ.

Osviecimensis Ducatûs, ad Palatinatum Cracoviensem spectantis, Aquila nigra, cum litera O. in pectore.

Posnaniensis Palatinatûs, Aquila candida sinè Corona, in campo rubeo.

Posnaniæ, Tres Turres, in Porta duæ claves decussatim positæ.

Sandomiriensis Palatinatûs Scutum, in quo à medio tres campi rubri, tres albi, in altera parte campus cæruleus, cum tribus stellarum ordinibus.

Sandomiriæ, Rex in Solio, & Aquila.

Calissiensis Palatinatûs, caput Bisontis, inter cujus cornua aurea Corona per nares circulo transeunte, cãpus instar alveoli albus & ruber.

Calissii, Porta cum duabus Turribus in cujus medio crux, supra portam Tibicen.

Siradiensis Palatinatûs, Leo ruber medius, & semi Aquila nigra cum Corona aurea in plano campo.

Siradiæ, Tres Turres cum Porta, in medio Turris, Aquila.

Vielunensis Territorii, Agnus cum vexillo & calice, in campo rubeo.

Lanciciensis Palatinatûs, semi Leo ruber in

campo

campo albo semi Aquila alba in campo nigro, cum Corona aurea.

Brestensis Cujaviensis, Medietas Aquilæ, & dimidius Leo, aureâ Coronâ insigniti, in campo aureo.

Kijoviæ Palatinatûs, ex una parte Ursus in campo albo, ex altera Angelus albus tenens evaginatum gladium.

Inovladislaviensis, Medietas Aquilæ rubræ, & Leonis nigri in Campo aureo.

Dobrinensis Territorii, Caput humanum canâ barbâ, cornutum; in Campo rubeo, desuper & infra habens Coronam auream.

Russiæ Ducatûs, Leo fulvus coronatus in Campo cæruleo, continet Palatinatus, Podoliæ, Volhyniæ, Kijoviensem; Czerniechoviensem, Bracłaviensem; antea fuit Regnum, & Monedulam coronatam nigram in campo albo pro stemmate gerebat.

Halicensis Terræ, Monedula nigra cum Corona aurea in Campo albo.

Premysliensis Terræ, Aquila biceps Coronata, in Campo cæruleo.

Chełmensis Terræ, Ursus albus in Campo viridi inter arbores.

Zydaczoviensis, Tres Leones in Cæruleo vexillo.

Volhyniæ, In vexillo viridi Crux alba, in Campo rubeo & aquila.

Podoliæ Palatinatûs, Sol radiatus in Campo albo.

Camenecensis Urbis, S. Georgius in equo draconem interimens. *Lu-*

Lublinensis Palatinatûs, Cervus in Campo rubro, in collo aurea Corona. *Lublini*, Caper.

Belzensis, Gryphus albus coronatus in Campo rubeo.

Masoviæ Ducatûs, cum tribus suis Terris, Aquila alba expansîs alîs.

Podlachiæ, Cum suis Districtibus, ab una parte in vexillo Aquila alba, in Campo nigro, ab altera parte eques armatus cum evaginato gladio, fuit aliquando sub Lithvanis.

Ravensis Palatinatûs, Aquila nigra in Campo rubro in ejus pectore litera R.

Braclaviensis, Habet Crucem albam, in Campo rubeo, & lunam in medio,

Prussiæ Ducatûs, continentis Palatinatus duos, Culmensem cùm Mariæburgensi, aquila in Campo rubro, in ejus collo Corona aurea, sub dextra ala, manus armata cum stricto gladio.

Pomeraniæ Palatinatûs, Gryphus niger in Campo albo.

Livoniæ Palatinatûs, Gryphus niger in Campo albo.

Czerniechoviensis Palatinatûs, Aquila biceps Coronata.

INSIGNIA PROVINCIARUM M. D. LITHVANIÆ.

M. D. Lithvaniæ, Insigne est Eques Cataphractus, cum mitra supra Scutum, bina Cruce signatum.

Palatinatûs Vilnensis, In vexillo rubro ex una parte Cataphractus Eques, ex altera, Co-

lumnæ

lumnæ, albæ, antiquæ Gentis *Columnarum* Insigne.

Vilnæ, Columnæ cum Porta in medio.

Osmianensis Districtûs, Eques in vexillo purpureo.

Lidensis, Eques Cataphractus in vexillo cæruleo.

Wilkomiriensis, Eques Cataphractus in vexillo rubeo ex una parte, ex Altera S. Michàël Archangelus.

Braclaviensis Distr:, Eques Cataphractus in vexillo roseo.

Palatinatûs Trocensis, In vexil: lasurino Eques Cataphractus in Campo rubeo *Districtus Grodnensis*, ad hunc Palatinatum spectans, ut, & *Distr: Caunensis*, & *Distr: Upitensis*, eôdem Insignî utuntur, quo Palatinatûs Trocensis additîs literîs G. C. U. in scuto Equitis.

Ducatûs Samogitiæ, Ursus niger, cum circulo albo in collo.

Palatinatûs Smolenscensis, Vexillum rubrum, in quo Scipio.

Smolensci: Eques armatus in vexillo roseo.

Distr: *Staroduboviens*: Eques Cataphractus in vexillo purpureo.

Palatinatûs Polocensis, Eques armatus in vexille rubro.

Palatinatûs Novegrodensis, Angelus niger in campo rubeo, ex altera parte vexilli Eques armatus.

Distr: Slonimensis. Eques cataphractus in vexillo purpureo.

Distr:

Distr: Wołkoviscensis, Eques armatus in vexillo roseo.

Palatinatûs Vitepscensis, & Districtûs ejus *Orsensis*, Eques armatus in viridi vexillo.

Palatinatûs Brestensis, & Districtûs illius *Pinscensis*, Eques armatus: in campo cæruleo.

Palatinatûs Mscislaviensis, Eques armatus in vexilln croceo.

Palat: Minscensis, & Distr: *Rzeczycensis & Mozirensis*, Eques armatus in campo albo vexilli purpurei.

Palat: Livoniæ, Gryphus albus erectus in pedes, in cãpo rubro cum gladio in pede dextro, in pectore autem literæ S.A. coronatæ, scilicet: *Sigismundus Augustus*, qui hoc stemma dedit Livoniæ, eã incorporans Lithvaniæ. An. 1567.

STEMMATA VARIORUM *Extraneorum Regnorum & Provinciarum.*

A*Ndaiusiæ* in medio campo flavo, pomum punicum sursum erectum cum ramo, supra campum Corona Regalis absque cruce.

Angliæ, Olim dictæ Britanniæ, tres Leones unus infra alium in campo rubeo, desuper Corona Regalis cum cruce & globo, à parte dextra Leo coronatus, à sinistra Gryphus.

Aragoniæ Regni, In campo flavo circuli oblongi, 5. trabes rubræ, in sinistra parte in campo albo Crux rubra, & in quovis Crucis

An-

angulo caput coronatum, teniis de collo pendentibus.

Austriæ, Alaudæ ſurſum avolantes, item Aquilæ duæ in albo campo.

Balearidum Inſularum, in campo flavo 4. trabes, & Crux in tranſverſum, deſuper Corona Regalis.

Bavariæ, In campo albo rhombi feneſtrales oblongi, qui ex angulis prodeunt.

Biverræ, In Medio campi albi Crux ſubrubra, deſuper Corona Regalis.

Bohemiæ, Leo albus coronatus, cum duplici cauda.

Bononiæ, In Campo flavo tria poma punicea, deſuper corona Regalis, ſine Cruce.

Brabantiæ, In Campo nigro Leo flavus erectus, deſuper corona Ducalis, *v.* latrunculi rubri & albi.

Brandeburgici Marchionatûs, in Campo albo aquila nigra coronata, deſuper duæ albæ in corona Regali, ſine Cruce, *vel* Draco.

Brunſvicenſis Ducatûs, 2. Leones in campo albo *v.* Leo aureus, v. vir ferus albus, ſeu Sylvacius.

Bulgariæ, In Campo cæruleo luna alba.

Burgundiæ, In Campo flavo tres trabes tranſverſæ cæruleæ, deſuper Corona Regalis ſinè cruce.

Calabriæ, In medio campi Crux nigra, deſuper corona Regalis ſinè cruce.

Campaniæ, In campo cæruleo trabes 2.

Cameracenſis Archi-Epiſcopatûs, Aquila biceps in campo flavo. *Caſti-*

Castiliæ, In campo rubro rhombus, & aliquot trabes rubræ cum crucibus cæruleis

Croatiæ, & Cliviæ, latrunculi rubri & albi.

Daniæ, In campo cæruleo Coronæ, & Leones flavi tres. Item trabes cæruleæ duæ cum interstitiis albis tribus, & Crux.

Hetruriæ Ducum, ſex globi in Campo albo, in orbem diſpoſiti.

Flandriæ, In campo flavo Leopardus niger erectus, deſuper corona Regalis ſine cruce.

Florentiæ, Lilia trium foliorum, & duæ Roſæ.

Galatiæ, Monſtrantia cum Venerabili SACRAMENTO in campo cæruleo, & ex utraquè parte in longum 3. Cruces nigræ, deſuper Corona Regalis ſine cruce, infra campum inſcriptio: *Hoc myſterium firmiùs confitemur.*

Galliæ, Tria Lilia in Campo cæruleo, deſuper Corona Regalis cum cruce.

Gottiæ, Currus triumphalis, in quo vexilla ſubtracta prominent, quibus inſiſtit vir galeatus, dextrâ manu protensâ cum gladio, ſiniſtrâ cum clypeo.

Germanici Imperii, Nigra Aquila biceps, cũ Corona Cæſarea.

Granatæ, In campo flavo pomum puniceum ſurſùm erectum cum ramo.

Hiſpaniæ, Varia ſunt & multa ſtemmata ſiquidem ſub ſe regna continet plura, præcipuum tamen ſtemma eſt, turres, coronæ, Leones, Leo ruber erectus.

Hollandiæ, In campo flavo circuli, Leo ru-

ber erectus, desuper Corona Regalis sinè cruce.

Hungariæ, Tres rubræ trabes in campo albo, Crux, & super eam Corona Regalis sinè cruce.

Hiberniæ, Cythara in campo cæruleo.

Italiæ, Virgo, armis, hastis, & oleis insistens.

Legionis, In campo albo Leopardus coronatus, sinè cruce Corona.

Lotharingiæ, Falcones tres.

Lucelburgi, In campo albo Leo ruber erectus.

Lusaciæ, Murus prominentibus arcubus, desuper campus totus ruber.

Lusitaniæ, Campus albus, & intra illum 5. Scuta cærulea, circa campum in superficie rubra 7. portæ flavæ, desuper Corona regalis sinè cruce.

Marchiæ, Latrunculi cærulei & albi.

Mechliniæ, In campo flavo 3. rubræ trabes, in medio trabis Aquila biceps.

Mediolanensis Statûs, tres Coronæ Regales sinè cruce, & serpens erectus infantē dentib9 tenet.

Moguntini Archiepiscopatûs, Rota & Leo dimidius.

Moraviæ, In campo cæruleo Aquila rubra, distincta ubiq; flavìs alis.

Moschoviæ, Aquila nigra biceps, in cujus pectore Eques, adinstar S. Georgii, alia stemmata in alis.

Navarræ, In campo rubro duo Leones, unus infra alium.

Normandiæ, In campo rubro castrum cum tribus turribus.

Norve-

Norvegiæ, Idem ſtemma, quod Daniæ.

Peloponeſi, In campo cæruleo Luna.

Portugaliæ, Campus partim ruber, partim flavus, & in medio duo capita humana vittata, & duo coronata.

Rheni Palatinatûs Leones & latrunculi.

Scotiæ, Leopardus ruber in campo flavo, à partibus equi coronas in collis gerentes, deſuper Leo erectus coronatus, in dextro pede cum gladio, in ſiniſtro cum ſceptro, à partibus vexilla. Vexillum dextrum habet in ſe crucem tranſverſam, ſiniſtrum habet Leopardum erectum, vel Lilia rubra, ſicut & Anglia.

Serviæ, Idem ſtemma, quod *Bulgariæ*.

Sileſiæ, In campo pars una alba, altera flava, in alba eſt Aquila nigra, in flava trabes.

Sueciæ, In campo cæruleo Leones & 3. Coronæ.

Thuringiæ, ex Leonibus duobus ſinè coronis, unus ruber, alter albus.

Tranſylvaniæ, In campo flavo Leo erectus, per medium ipſius Luna cærulea craſſa cum alba ſimili. Item tres dentes Elephanti, juxta alios Lupi, in campo cæruleo, ſupra Mitra Ducalis.

Trevirenſis Archiepiſcopatûs, à dextra parte in campo albo 4. trabes cæruleæ, per quas Leo extenſus, deſuper corona Ducalis; à ſiniſtra parte in campo rubro crux alba, deſuper Infula cum gladio à dextris, cum ſcipione Epiſcopali à ſiniſtris.

Turciæ, Luna pallida cornibus erectis.

Valachiæ, In campo cæruleo Luna alba, vel Calvaria, ſeu caput hominis mortui.

Valentia Regni, Templum album murô albo circumdatum in campo rubro.

Hæc Regnorum ſtemmata, tum notitiæ habendæ gratiâ, tum in certis paſſibus, opportunitati conſulendo hìc poſui; ut ſi ſubinde talem materiam poſcat occaſio, Póëta notitiam eorum domi habeat, unde alia Regna honoris ſibi vendicant encomium.

F I N I S.

INDEX
Capitum hujus Opusculi.
PARS I.
De Globo.

PARS II.

De mappis, ſeu chartis Geographicis.

§. I.

)(o)(

§. II.

§. III.

§. IV.

CAPUT IX.

§. I.

§. II.

CAPUT X.

§. I.

§. I.

§. II.

CAPUT XI.

§. I.

§. II.

§. III.

CAPUT XII.

§. I.

§. II.

CAPUT XIII.